PA 6659
.G7
Copy 1

QUAESTIONES ANNAEANAE.

PA 6659
.G7
Copy 1

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX. M. IANUARI A. MDCCCLXXIII

H. XI.

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

OTTO GRUPPE

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OTTO SEECK, DR. PHIL.
CHRISTIANUS BELGER, DR. PHIL.
WLADIMIRIUS PIROGOFF, CAND. PHIL.

SEDINI.

TYPIS EXPRESSIT ROBERTUS GRASSMANNUS.

PA6659
.G7

Index I.

Annaeus Seneca rhetor quo tempore Romae versatus sit 25 sq.; eiusdem in eloquentia studia 45—57.
L. Annaeus philosophus quando natus sit 25 adn. (7.) 45.
Apollodorus Pergamenus 39—41.
Archetypum X. suasoriarum controversiarumque ex quo Antverpensis et Bruxell. descripti sunt 2—4.
Archetypum Y unde cod. X descriptus est 4—24; quot literae unam lineam compleverint 6—14; ecquae fuerint cola 20—28; quot lineis singulae pagina occupatae fuerint 20—14.
Asilius Sabinus nemo alius quam Iulius 40 adn. (93).
Asinius Gallus quando decesserit 29 adn. (36).
Asinio Polioni cum Annaeo familiaritas non intercessit 30.
Cantabri quo anno a M. Agrippa victi sint 32.
Cilnius Maecenas ab declamationibus abhorruisse videtur 30 sq.
Declamationes quando ubi actae sint 24—29.
Genitor dictus pro patre adoptivo 35 adn. (61).
Hermagoras uterque 42 adn. (110).
Iovius Bassus idem atque Iulius Bassus 40. adn. (93).
Iunius Gallio non inter novos rhetores inserendus 47.
Nicetas 45 adn. (132).
Nonii P. 27 adn. (18).
Novi rhetores quales fuerint 46 sq.
Ovidius quando quamque elegiam composuerit observationibus metricis aliquatenus definiri potest 36 sq. Cura secundi l. I. Fast. paucos admodum versus tentavit 38. Tertius Artis Amatoriae liber non cum prioribus set paullo post editus 25 adn. (9).
Pammenes 46 adn. (141).
Porcius Latro cum Seneca in patriam redit 44 sq.; ab Asinio laudatur tamquam paene forensis 46 adn. (137 et 138).
Praefectos urbi quando Augustus nominaverit 33.
Quintilianus Apollodorum false interpretatus esse videtur 41.
Sextius quo anno natus sit prorsus incertum. ind. coni. sub Hieronym.
Theodorus Gadarensis 42—44.
Timagenes rhetor num idem fuerit atque historicus 29 adn. (38).
Valerius Mesalla quando natus sit 46—49; eiusdem studia doctrinae 49—51.
Vallium Syriacum Stertinius accusat 61.
Vinicii 27 sq. adn. (23).
Cum Vipsanio Agrippa quo pacto Augustus dominium communicaverit 31—36.

Index II.

(Quibus numeris p. litera praeposita est, ei referendi sunt ad editionem Bursiani. Lips. 1857.)

Senec. rhet. suas. I. 10. p. 5. 30..... 10.
II. §. 14. p. 7. 25..... 11.
II. §. 12. p. 14. 2..... 40 adn. (93).
III. §. 7. p. 21. 30..... 37 adn. (73).
contr. I. 1. §. 1—5. p. 56. 22—58. 10.. 22 sq.
I. 1. §. 14. p. 62. 15..... 47 adn. (145).
I. 3. §. 4. p. 79. 14..... 40 adn. (93).
I. 4. §. 7. p. 85. 23..... 16.
I. 4. §. 8. p. 85. 26..... 8 sq.
I. 4. §. 10. p. 87. 1..... 15.
contr. I. 4. §. 12. p. 87. 21..... 45 adn. (131).
I. 6. §. 11. p. 96. 30..... 4.
contr. II. 9. §. 12. p. 121. 19—122. 1.. 12 sq.
II. 9. §. 34. p. 130. 11..... 43 adn. (112).
II. 11. §. 13. p. 144. 6..... 46 adn. (138).
II. 12. §. 8. p. 152. 25..... 29 adn. (34).
II. 13. §. 7. p. 159. 19..... 16.
II. 13. §. 8. p. 159. 26..... 20 sq.
II. 13. §. 8. p. 160. 4..... 10 sq.
II. 13. §. 11. p. 161. 4..... 40 adn. (93).
II. 13. §. 13. p. 161. 24..... 40 adn. (91).
II. 13. §. 14. p. 162. 14. Kiesslingius (*nova addit.* p. 10). Bursianum secutus scribit „peregrinationi“ Potest tamen Bruxellensis lectio sustineri: „Quid enim, si vir alicuius afuerit toto quinquennio? peregrinatione viri imputabitur?“ i e.: An tempus peregrinationis in quinquennium imputandum est? — Hoc ideo paene certum fit, quod tota hac explanatione „Imputare“ dicitur pro „Computare.“ —
II. 13. §. 16. p. 163. 9..... 5.
II. 13. §. 19. p. 164. 24..... 28 adn. (23).
II. 14. §. 2. p. 167. 8—10..... 9 sq.
II 16. §. 18. p. 186. 23..... 3.
contr. VII. 19. §. 3. p. 209. 13 } ..... 12. 21.
VII. 19. §. 6. p. 210. 28 }
VII. 20. tit. p. 213. 9..... 7.
VII. 20. §. 7. p. 217. 17..... 28 adn. (24).

VII. 21. §. 2 et 3. p. 219. 14—220. 2. 18.
VII. 21. §. 24. p. 224. 22..... 24.
VII. 21. §. 24. p. 227. 22..... 16 sq.
VII. 22. §. 5. p. 229. 7..... 9.
contr. VIIII. 24. §. 1 et 2. p. 243. 25—244. 5. 18 sq.
VIIII. 25. §. 20 p. 257. 5 sq. ..... 10.
VIIII. 26. §. 14. p. 266. 1..... 8
VIIII. 27. §. 9. p. 269 27..... 8.
VIIII. 27. §. 10. p. 270. 10..... 5.
VIIII. 28. §. 14. p. 279. 27..... 4.
VIIII. 29. §. 6. p. 283. 27..... 7.
contr. X. 30. p. 300. 7 ..... 3.
X. 32. §. 18. p. 310. 16..... 5.
X. 34. §. 5. p. 237. 21..... 14.
X. 34. §. 7. p. 328. 6..... 17.
Ovid. amor. I. 3. 22 / I. 10. 4 ..... 37 adn. (74).
II. 19. del. .... 37 adn. (76).
A A. I. 324 / III. 252 .... 37 adn. (74).
Pont. I. 7. 28 et 29 del. .... 35.
Ioseph. ant. Iud. XVI. 3. 3 ..... 31 adn. (45).
Quint. II. 15. 21 ..... 43 sq.
Hieronym. Abr. 2030 ..... 29 adn. (36).
Hieronym. Abr. 2017 „Sextius Pithagoricus fllosophus noscitur“ Schoenius ex Bernensi. At Euseb. *Σέξτος Πυθαγορικὸς φιλόσοφος ἤκμασεν.* Debuit igitur Schoenius recipere lectionem Amandini Petaviani, Freheriani, qui ubi inter se conspiraut eiusdem auctoritatis sunt, quam Bernensis. Hic Sextius apud Senecam commemoratur contr. II. 8. 4. p. 116. 16.

ERRATA.

p. 1 l. 18 lege „designabo“ pro „designata“.
p. 2 l. 14 lege „cod. Y“ pro „cod. X.“
p. 17 l. 10 lege „eum“ pro „cum“.
p. 17 l. 11 lege „iudicium“ pro „indicium“.
p. 18 l. 36 et p. 19 l. 13 et 27 lege „peculatus“ pro „peculiatus“.
p. 23 l. 19 lege „quaeso“ pro „quacso“.
p. 31 l. 7 lege „γεγενημένην“ pro „γεγεννμένην“.

Quaestiones Annaeanae.

I. de codice Archetypo.
II. de declamandi ratione et de claris quibusdam vel declamatoriae artis patronis vel ipsis declamatoribus.

I.

Duobus imprimis libris utendum esse in Senecae rhetoris scriptis, Bruxellensi (B) et Antverpensi (A) inde a Bursiano constat inter omnes. Qui interse ita conspirant ut proculdubio ex eodem archetypo descripti sint. Hoc igitur, quod litera X denotabo, cognoscere magni interest: praesertim cum non interpolandi studium set merus error causa sit omnium vitiorum, quorum incredibili multitudine et controversiae et suasoriae sunt inquinatae. Deinde, hac quaestione tractata, alteram movere liceat: nam qui errores omnibus manuscriptis sunt communes, eos apparet iam exstitisse in cod. X, declarandosque esse ex eius libri figura, cuius X fuit apographon. Hoc quasi archetypissimum (superlativo liceat uti et inusitato neque recte ficto) litera Y designata. — Quorum utrique libro cognoscendo in hac disquisitionis parte operam navabimus quam maximam.

At nescio quo pacto nobis incipiendumst ab illis ipsis quae totius dissertationis sunt incertissima. Nam libri X naturam non intellegemus, nisi collatis eis in quibus cod. B. et A. dissentiunt. Bursianus autem, praeter cuius apparatum nullo potui uti, in addenda varia lectione eam sibi imposuit

legem, ut quid A. exhiberet, non adderet, nisi iure sibi visus esset discedere a Bruxellensi. Sic ad unius codicis mendas sumus quasi delegati, cum duorum liceret uti. Apparet, quam incertum iudicium nostrum sit de cod. X. Illud quoque potuit me deterrere, quominus ad hanc quaestionem accederem, quod quamvis accurate perspexerimus huius archetypi formam, tamen inde non multum redundat ad errores emendandos: longe enim plurima vitia orta esse ex cod. Y indole, videbit, quicumque vel modicam in hac re collocaverit diligentiam. Nihilo secius, etiamsi cod. X formam cognoscere et difficillimum est, nec multum proficit, tamen non possum hanc dissertationis partem vobis remittere: neque enim pervenire licet ad cod. X cognitionem, quo pervenire nos magni refert, nisi antea aliquatenus intellexerimus cod. X naturam. De qua quid mihi visum sit veri esse simillimum, breviter si licet exponam.

Singulae lineae tricenas fere literas continuisse videntur. Hoc colligitur ex his erroribus, quos sola coniectura emendavisse scribae Antverpensis nequit imputari. Apud Bursianum p. 68. 1 in cod. A hoc legitur:

„Ne
mo“, inquid „mihi virginatem eripuit“.
set omnes quasi erepturi venerunt
set omnes quasi eripuissent recesserunt.

Is qui Bruxellensem conscripsit simili initio perductus tertium versum omisit. Plane idem accidit p. 109. 29

Etiamsi patrem
non haberes, desinere debebas;
(quia patrem habes, desinere debes)
quia pater vetat.

At duae lineae exciderunt p. 231. 26

Ante comitia
(inquid paratus fuerat, pecuniam acci
pere, ut filium perderet; post comitia)
paratus erat, pecuniam dare ut filium perderet.

Tres versus omissi sunt p. 334. 15.

Licinius
(NEPOS ait si voltis digne punire Pa

rrhasium ipse se pingat: non minus
stulte AEMILIANVS quidam Graecus).

Ad eundem literarum numerum referendum esse videtur, quod in controversia tricesima (p. 300 l. 7) excidit id quod est „Inter“. fuisse enim suspicor in archetypo:

PORCI LATRONIS. (Illum accusat) cuius
inter necessarium ita crudeliter
(inter) empti patris dolorem nihil

Bursianus quod post nomen Latronis lacunae signum non addidit miror: nec verbo tenus mihi videor rectum supplevisse: set tale aliquid excidisse verisimilest. Eadem ratione facillime explicatur sextae decimae controversiae paragraphus octava (p. 186. 23): ibi enim haec sunt tradita:

1. Perieras
2. pater nisi in parricidam incidisses.
3. TRIARI. In naufragio navigabat,
4. parum est quod non occidit patr
5. em immo etiam integra navi dimisit
6. putre resolutis compagibus infelix
7. omen navigationis.

Quae cum appareat mutila esse, Bursianus ita restituere conatus est, ut id, quod postea legitur

„Erat navigium immo fuerat set hoc“

post nostram lineam quintam insereret. Hanc vero coniecturam quominus nostram faciamus, impedit et sententiarum nexus et disertum excerptoris testimonium. Nec dubito, quin, linea tertia post quintam collocata, sic sit scribendum:

Porci Latronis. Perieras pater, nisi in parricidam incidisses. Parum est quod non occidit patrem immo etiam integra navi dimisit.

Triari. In naufragio navigabat putri, resolutis compagibus, triste omen navigationis!

Set quoad incertum sit, quid hic codex A. exhibeat, ambigendum erit num ista inversio ex cod. X. forma sit declaranda.

Itaque quoniam ad literarum numerum si non manifestum veri tamen similem pervenimus, id in primis investigetur opus

est, ecquae fuerint cola. Atque novum quemque rhetorem integram occupasse lineam colligitur ex hoc exemplo, unico quidem, set illo, quantum mihi quidem videtur, certo. Nam p. 267 l. 13 quomodo exciderint verba uncis inclusa, facillime intelleges, si hanc tibi archetypi formam animo finxeris.

Iratus iacenti ipsas cadaveris manus (in me ingessi.
FVLVI SPARSI. Tales fuerunt ex quibus posset alter tyrannum contemnere) alter occidere.

Accedit, quod bis alibi (p. 300 l. 7; p. 186 l. 20) auctoris nomen initio versus potitum invenimus; neque obstat, quod p. 334. 14—16 duo nomina medio versu collocata erant: ista enim non intermittebant sententiarum tenorem.

Set cum conferamus quos solus exhibet cod. B. errores, cum eis, qui illi communes sunt cum Antverpensi, non dubitabimus, quin hi sint multo plures. Itaque ut praediximus, multo pluris refert, ut illius libri formam intellegamus, unde X sit descriptus. Quae disquisitio priore et facilior est et multo certior, quando quidem excerptis tamquam basano quodam uti licet. Quibuscum comparantes innumerabiles errores omnibus codicibus communes, non desperandum est, nos ad certam aliquam libri Y cognitionem perventuros esse.

Atque nullo quidem modo saepius erratum est, quam omissis verbis. Haec neglegentia potuit quidem usque quaque accidere; reque vera accidit: iam plurima verba passim ab editoribus vel necessarie vel verisimiliter sunt addita; multa etiamnunc addenda sunt. Velut legitur p. 96. 30 „Latro aiebat, quoque iusiurandum ineptum esse“. Haec intellegi nequeunt: quid enim aliud ineptum est? apparet legendum esse: „per patrem quoque i. i. ineptum esse“, quod scriba neglegens omisit, ubi confudit cum linea hanc insequenti. In duodetricesima quoque controversia debuit Bursianus lacunae signum addere, ubi volgo legunt (p. 279. 27):

Marcellum Marcium aiebat sic narrasse: „Puer me secutus est“.

Quis aiebat? Haud dubie aliqua exciderunt, quae quomodo sint restituenda non ignoramus. Legimus enim p. 287 l. 32: „Montanus Votienus Marcellum Marcium amicum suum, cuius frequenter mentionem in libris suis facit aiebat hanc dixisse sententiam“.

Controversia non potest esse, quin priore loco Montani Votieni nomen sit restituendum. Nihil facilius intelligitur quam huius vitii origo: Librarius enim cum stupide arbitraretur, eundem significari hominem, ex tribus cognominibus duo illi videbantur omittenda. Multo etiam stultiorem coniecturam excogitavit in controversia XIII. §. 16. Procul dubio ibi est scribendum: „Si tyrannus non vetuisset, istam parere, inter quin(quennium peperisset). Quid scriba? omissis, quae uncis inclusi, non recte ei videbantur reliqua se habere: emendavit itaque collocando ultimam vocem ante antecedentem. Haec tam aperta sunt, ut mirer, quod ne Bursianus quidem in ea incidit. Multo vero hic magis idcirco uituperandus est, quod p. 310 l. 16 lacunam non intellexit. Apparet scribendum esse *υἱὸς Θ'υίωνός τ' ἀρετῆς πέρι δῆριν ἔχουσιν*, quod conieci antequam invenissem, unde hic versus esset depromptus. Extat enim in celeberrima Laertis oratione quam profitetur ω. 510 sq. Hoc ubi iuvenili gaudio elatus communicavi cum Hauptio praeceptore veneratissimo ille me certiorem fecit, a se iam olim occupatum esse.

Nusquam tamen saepius vel singulae vel plures voces praeteritae sunt, quam eisdem verbis brevi spatio distinctis. Quare tales lacunas emendaturus nihil antiquius habet, quam ut homoteleuton quod dicitur reperiat. Sic quoque est adhuc ubi emendari possit. Velut p. 270. 10 non video cur Bursianus lacunam non compleverit, cum perspicuum sit hoc fuisse in archetypo: „Si non quisquis patrem pulsavit puniri debet (an hic debet)?“

Sed ne nimis moremur in coniecturis vilissimis in libro omnibus vitiis adeo depravato, iam eo transeundum est unde lacunae longe plurimae sunt declarandae. Nullus enim huiusmodi error facilior est, quam linea tota omissa, praesertim cum eodem atque insequens utatur initio. In eo igitur potissum tota haec quaestio quasi pendet num certum literarum

numerum in lacunis adeo videamus praevalentem, quem liceat singulos versus complesse suspicari. Atque de hac quidem re ambigi vix potest. Pauca afferam exempla, nam omnia enumeraturum verendumst, ne charta deficiat.

p. 123. 25.
ostendit; census senatorium gradum ascendit;
(census equitem Romanum a plebe discernit) literae 35.

p. 180 16. Albucius enim non
(quomodo non esset scholasticus quaerebat set) l. 36
quomodo non videretur.

p. 182. 17. Nec in scholas-
(ticis tamen effugere contumelias poterat) l. 37
Cestii mordacissimi hominis.

p. 182. 5. Centum viri rebus iam ultimis
(properabant. Albucius clamabat: „ista ratio) l. 36
ne scemata de rerum natura tollantur".

p. 181. 4. Et longe deterius senex dixit
(quam iuvenis dixerat: nihil enim ad profectum) l. 38
aetas ei proderat.

p. 270. 15.
(non est impudica, quae arcessita est a tyranno) l. 38.

d. 183. 24. Nec satis memineram tale
(ministerium mihi pater an noverca mandasset) l. 38
ministerium an poenam esse voluisset.

p. 293. 5.
Parum videlicet in poenas notae crudelitatis est
(conquirite in vosmet ipsos nova quibus pereatis) l. 39.

p. 291. 12.
.....Genus dicendi anticum. verborum quo
(que non volgarium gravitas, ipse voltus habitus) l. 40
que corporis mire ad auctoritatem oratoriam aptus.

p. 185. 27. Credam parricidium, si
(tibi proficiscenti navigium suum reddidit. Subi) l. 40
to mihi non sentienti ferrum cum animo pariter excidit.

Duae lineae exciderunt p. 149. 23.
Offerebam me propinquis
(expectabam, ut aliquis pro abdicato rogaret): l. 38
(nemo audebat propinquorum fratre cessante) l. 37.

Quinque vero toti versus archetypi omissi sunt p. 297. 5.

Et pecuniam itaque et
(dignitatem quam primum in provincia Hispani) l. 38
(a habuit, eloquentiae debuit. natus quidem e) l. 36
(rat patre splendidissimo, avo divi Iuli hos-) l. 37
(pite. set civili bello attenuatas domus nobi) l. 37.
(lis vires excitavit et ita ad summam perduxit)
dignitatem, ut si quis e. q. s.

Set longum est, omnes lineas praeteritas enumerare, quae inde ab antiquissimis editoribus recte sunt restitutae. necdum hac methodo, sicut debuerunt, fructi sunt: quin ipsi mihi non semel contigit hoc modo complere, cum emendari posse iam desperaretur. Velut in paragrapho sexta controversiae undetricesimae haec leguntur: „MENTONIS non misereris huius miserior est, quam frater ille habuit sine dubio noverca torquere". Fuit autem in antiquissimo codice:

MENTONIS. non misereris hnius? miserior
est quam frater. ille habuit sine dubio (l. 38)
(novercam set haec matrem noverca crudeli) l. 37
(rem. „*conscia*" *inquid* „*filiast*". *ego torqueri coepi*) l. 39
noverca torquere.

Verba obliquis apicibus impressa mutuatus sum ex epitome. quae hic collocanda esse, et sententiarum nexu comprobatur, et quod homoteleuto facillime, quomodo errari potuerit intellegitur. Quae sunt „noverca crudeliorem", de his certi nihil audeo affirmare, tametsi similia his excidisse apparet. Eodem modo potuit p. 213 l. 9 emendari. ibi enim a Bruxellensi haec exhibentur:

Inventus est.... communis paries perfossus
percussorem cognoscere ille procuratorem digito
denotavit.

Volgo post id quod est „Perfossus" inserunt haec: „Puer iubetur", quod neque conspirat cum epitomatore neque cur exciderit videtur. scribendum est:

(puer quinquennis qui una dormierat iubetur) l. 37
percussorem cognoscere.

In alia quadam lacuna excerptor quidem tacet potuisset tamen

Bursianus necessarium invenire complementum, si paullo accuratius sententiarum ordinem considerasset. Nam p. 269. 27 haec leguntur, quae mutila esse nemini non est persuasum: „Novissime inter filium et patrem tyrannus intercessit an non quisquis patrem ceciderit puniatur“. Archetypus hoc exhibuit:

novissime inter
filium et patrem tyrannus intercessit.
(DIVISIO. LATRO in has quaestiones divisit:) l. 35
An non quisquis patrem ceciderit puniatur?

Formula qua usus sum volgatissima est apud Annaeum. Conferas e. g. p. 223. 25 etc. Latronis nomen non difficile erat invenire. Nam primum plurimae longe divisiones ab Latrone incipiunt; deinde, cuiuscumque hic excidit nomen, ab eodem (paginae hanc insequentis linea 18) haec sunt dicta: „An tutus sit, qui patre iubente fecit?“ Haec vero verba p. 271. 5 commemorantur tamquam Latronis: „Et illi quaestioni Latronis: An tutus sit, qui patre volente fecerit nunc etc....“ Alia lacuna (p. 266. 1) ex parte quidem iam olim ex excerptore suppletum est, set maius mihi videtur vitium, quam quod inde emendari possit. Exhibet enim B:

CASSIVS SEVERVS venustissimam rem ex omn
ibus. qui ab auditione eius cum rediret inter
rogatus quomodo dixisset respondit, male
— — — — — — — — — —
Glycon dixit: *ἂν ἀμφοτέρους*

e. q. s. Post id quod est „Male“ recte quidem inserunt „*καὶ κακῶς*“, set longe abest quin oratio sic recte procedat. Nam ab Cestio egressus variis ambagibus ad Graecos pervenerat: subiungit urbane illa de Sabino Clodio dicta in Hateri ut videtur aedibus. Hinc ubi voluit ad propositum suum redire, debuit hoc disertis verbis dici, non modo ex Annaei consuetudine(e. gr. conf. p. 5. 8, 17. 27; 22. 4; 258. 16 etc.) set ex ipsa orationis necessitate. Quam ob rem non dubito, quin tota linea exciderit hunc fere in modum:

(*καὶ κακῶς*. set ut ad propositum meum revertar).

Eodem modo una linea excidit p. 85. 26

ALBVCIVS non narravit set hoc colore egit ab in
itio usque ad finem: ego me defendere debeo? si

quid mihi obiectum est aut negabo aut excusabo
— — — — — — — — — — —
si quid exegeris maius viribus meis dicam:
„ignosce; non possum“.

Haec interse non cohaerent. manifestumst hoc esse supplendum:

(si quid dicis exegisse pro viribus meis, negabo) l. 39

qui versus proximo adeo est similis, ut magis miraturus fuerim, si codices eum exhiberent, quam miror, quod omiserunt.

Quoniam lacunarum spatium vidimus in uno literarum numero adeo conspirare, ut inde possimus versus magnitudinem cognoscere, eo iam transeamus, num idem numerus aliunde comprobetur. Ac secundum quidem post verba omissa locum sibi vindicant bis scripta. Et ne hoc quidem negari potest, tales dittographias saepissime inveniri, triginta septem octove fere literarum spatio interposito. velut p. 229. 9 scribendum est:

Non per-
venerunt sero: imperatorem nostrum convenerunt,
imperator istum accusat: nos subscribimus; (l. 37)
hoc fuit imperatoris nostri testamentum.

Quicumque cod. X conscripsit, ante ea, quae sunt: „Imperator istum accusat“ oculorum errore in lineam insequentem lapsus collocavit „hoc fuit“. — In eiusdem paginae linea vicesima octava debuit Bursianus levissima coniectura damnum e medio tollere: fuit enim in archetypo:

De hoc ut
utrum volet dicat: inimicus est, hunc indicavit (l. 38)
utrum tantum auri erat, ut appareret etiam non
quaerentibus. An tam suspectus erat, ut
quemvis admoneret, proditionem cavere?

Quod iterum legitur „Utrum“ errori deberi et delendum esse apparet. Post ea quae sunt „Suspectus erat“ Bursianus asteriscum apposuit. Equidem non dubito, quin verbum „Suspectus“ hic dictum sit pro „Suspicioso“ quamvis non nesciam, hanc vocem ante Tacitum in istam significationem alibi non concessisse. — Eandem ob caussam p. 167. 8—10 Blandi nomen brevi intervallo ita repetitum est, ut posterius delendum esse constet, quod vitium non iam olim emendatum esse, vix credideris. Ortus autem est error ex hac archetypi figura:

BLANDI. Obicit luxuriam propriam et hoc di- (l. 35)
cit adulescens: frugaliter vixi quamdiu (frugi) l. 39
patrem habui: ante me desiste; ante me coeperas; (l. 38)
senex, luxuriaris .... e. q. s.

Errore igitur, tertia linea confecta ad primam scriba recurrit, deinde vitio intellecto ad quartam se vertit, nomine Blandi aut levius aut omnino non deleto. Indidem simul apparet, auctorum nomina maioribus literis conscripta fuisse, primo versu non plus triginta quinque literas continente. Similem huic errorem intellexit Konitzerius p. 5 l. 30 exstare. Ibi enim tradita sunt haec: „Hic difficultatem navigationis ignoto maris naturam non patientem navigationis“. Quod post difficultatem legitur „Navigationis“ ineptum est, nec quin delendum sit, dubitari potest. Hactenus id Konitzerio optime cessit; set veram vocem loco suo summotam esse suspicor. fuit fortasse:

hic difficulta
tem descripsit ignoti maris naturam non patien (l. 39)
tem navigationis.

Eodem vitio temerata est controversia vicesima quinta (§. 29)
1. TRIARIVS ineptum introduxit colorem: „sermo e (l. 38)
rat“ inquit, „in convivio, contemni nimiam praeto (l. 38)
ris lenitatem: alios fuisse proconsules qui cot (l. 38)
idie animadverterent, huius anno nullum esse (l. 38)
occisum. Dixit aliquis e convivis: ego numquam
(l. 38)
(occidi virum vidi) dixit et mulier: „et ego num-
quam“ (l. 40).
Iratus, quod clementia sua contemptui esset, curabo
inquid . . .
e. q. s. — Simili versuum et exordio et fine perductus scriba sextam lineam omissurus erat: iam scripserat id quod est „Iratus“, cum vitii sibi factus est conscius. Pro sua tamen neglegentia totam lineam ab integro describere dedignatus est: satius duxit ibi hunc versum excipere, ubi in proximo constiterat.

Haec secutus exempla non possum non paullo aliter atque ceteri restituere controversiae tertiae decimae paragraphum

octavam. Nam cum a libro Bruxellensi haec exhibeantur: „Creditisne hanc in tormentis oppressam mortem amplius pro viro praestitisset si quid amplius elegisset tyrannus . . .“ pro accusativo, qui est „Mortem“ volgo maluerunt dandi casum, proque coniunctivo „Praestitisset“ infinitivum: duplici emendatione, ideoque parum probabili. Tamen haec sustineri posse non nego; facilius modo mihi videtur, prius illud „Amplius“ delere unde hanc fere archetypi formam fingamus necesse est.

> Creditisne hanc in tormentis oppressam mortem
> pro viro praestitisse et si quid amplius
> elegisset tyrannis . . . .

Quam formam mox aliunde mirum in modum comprobari videbimus. Set hoc exemplo cum non dubio careat, non audeo tamquam argumento uti; quin etiam vereor, ne illic dedeceat, probabilia proferre, ubi tantum abest, ut certa et necessaria usque quaque sint restituta.

Aliquotiens etiam demigraverunt verba in eundem lineae insequentis locum, velut p. 7 l. 25, ubi tradita sunt ista: „Latini declamatores in descriptione[m] Oceani non nimis viguerunt, nam aut minus descripserunt aut curiose“. Fuisse videtur in archetypo hoc:

> Latini declamatores in descriptione Oceani non
> viguerunt, nam aut minus descripserunt, aut
> nimis curiose [1].

---

(1) Multa eiusmodi vitia emendavit Kiesslingius cui debitas hic gratias dico, quod insigni liberalitate nuperam suam de Seneca dissertationem (Hamburg. 1871) mecum communicavit. Qui quamvis aliam suspicetur fuisse archetypi indolem (duas enim columellas statuit, quarum utraque sedecim continuerit literas), tamen ipse egregiis emendationibus, illud, quod supra exposuimus videtur mihi comprobasse. velut p. 95. 31 fuit in archetypo:

> An expleverit iusiurandum
> ducendo illam uxorem: an, etiamsi non explevit,
> non teneatur, qui coactus aliquid contra iusiurandum
> facit. Hunc antem cogi a patre. Si per iusiurandum (l. 37)
> potest parere, an debeat?

Similis igitur exitus conduxit librarium, ut quartum versum modo confectum, denuo scribere inciperet. Eodem ingenio K. dittographiam sustulit p. 145. 21; — scribendum est:

(Hoc quoque iam Iscio ab Hauptio occupatum esse.) — Hinc quoque potest unius versus spatium cognosci quod p. 209. 14 una lineola sententiarum nexum perturbat:

In epilogis vehemens fuit Apollonius Graecus (l. 39).

Mox demonstrabo unde haud dubie hic versus transmigraverit.

Hic non alienum est, commemorare controversiam octavam, omnibus, quae adhuc tractavi, vitiis depravatissimam. In primis quae apud Bursianum p. 121. 18—122. 1 leguntur corrigi nequeunt, nisi ex ea, quam modo statuimus archetypi forma. Quas autem hinc sumemus emendationes, eae licet singula possint temere et audacter mutata videri, tamen in universum omni dubitatione carent. Ibi enim leguntur in B.: „Nampe ut anxii interdiu et nocte ruinam ignemque metuant, qui subiectis iniectus est fortuitos quae et beuna illa urbium excidia sunt. quippe non defendis uni set in communi periculo apprehendam hostesque aliena et in suis dominia validiora ceduntur alia ipsaque cum maxume flaglanti spolium ex alienis ruinis fer' in hos ergo exitus varius ille segatur lapis et tenuit fronte parietem tegat quam umetis (umectis ex collatione Haasii) severe in hoc pavimentum levatum et infuscum tectis aurum. o paupertas, quam ignotum bonum es! Quin etiam montes silvasque in domibus marcidis et umbra fumoque viridibus....." e. q. s.

Post id quod est „Viridibus" paginam exiisse mox comprobabimus. Illud igitur iam tenendum est, hic versus finem exstare. Alterum linearum discrimen in eis quae opposui verbis fuit ante vocem „Quippe". nam quamvis obscura sit Bruxellensis lectio, tantum constat, insequentia dici de

FVSCVS parum hoc putabat valens esse tamquam (l. 38) quaestionem: satis valens tamquam argumentum (l. 38) et illam alteram quastionem .....

Hic quoque scriba lineam alteram iterum descripturus erat: rectum versus tertii initium laevae orae adscripsit: unde haud dubie nostrorum codicum lectio exorta est. Iam uides, quomodo Kiesslingius ipse mecum agat, mihique adsit in certamine alioquin nimis iniquo. Cuius dissertationem quod non cognovi nisi mea plane confecta, magnopere mihi est dolendum.

calamitatibus. Itaque cum antea non agatur, nisi de incendiis et ruinis, talem fere versum apparet excidisse:

Quid porro, si bellum aliquando exortum sit?

Initium huius lineolae non omni verisimilate caret, quippe unde facillime librarii error perspiciatur. Quod mox legitur „Apprehendam“ vix dubitari potest, quin sollemni fere vitio scriptum sit pro eo quod est „Apprehendunt“. Nec magis sustineri potest illud „defendis uni“, atque quoniam tertiam personam exstitisse manifestum est, procul dubio sic scribamus necesse est: „Defendunt“. Hoc quoque vitium in codicibus nostris admodum est obvium, quo literae I et T immutentur; fuit fortasse in archetypo: Defend$^{unt}_{is}$. Sic enim librarius descripsit archetypum, ut quotienscumque aliquid emendati invenisset, utrumque exararet. Ceterum mox intelleges, aliquantulum adhuc restare, ubi totam archetypi scripturam exhibuero. Quae subsecuntur: „in suis dominia validiora ceduntur“ non est cur offendant, quandoquidem voce „Dominium“ hic simili significatu usus est Annaeus pater, quo passim filius. Hic enim (velut de vita beat. 4) dicit: „Vides autem, quam malam et noxiosam servitutem servituus sis, quam voluptates doloresque incertissima dominia impotentissimaque alternis possidebunt“. Item noster dicit, cedi bona ista dominis validioribus quam ei, qui illa exstruxerint — Tum pro eo quod est „Flaglanti“ iam olim scripserunt „Flagrant“. Denique quae leguntur „um ectissevere“ (Haasii enim collationem sequor tamquam corruptiorem) ea inde apparet effluxisse, quod unius lineae spatio interposito exstabat „um tectisaurum“. At quibus etiamnunc opus est emendationibus, eae facillime intellegentur, si archetypi formam huc apposuero:

1. (Quid porro, si bellum aliquando exortum sit?)
2. quippe non defend$^{untur}_{is}$, set communi periculo
3. in suis dominia validiora ceduntur. alia ipsi
4. apprehendunt hostes, qui alia cum maxime flagr
5. ant spolium ex alienis ruinis ferunt. in hos ergo
6. exitus varius ille secatur lapis, ut tenui fronte
7. parietem tegat *altam: in hos pavimentum laevatum,

8. et infusum tectis aurum! o paupertas quam igno
9. tum bonum es! quin etiam montes silvasque in
10. domibus marcidis et umbra fumaque viridibus....

— — — — — — — — — — —

Quid ergo librarius? Secundo versu confecto, ut solebat oculis lapsus quartum descripsit usque ad verbum quod est „Alia". Subito menda perspecta celere (adeo enim properabat ut pro „Alia" scriberet „Aliena") ad tertiam lineam regressus est. Inde cetera ex ordine conscripsit. —

Literarum numero iam explorato, id in deliberationem cadit, num in codice Y suam quisque rhetor lineam inceperit. Quam legem cum viderimus observatam esse in X, gravibus opus est argumentis ne idem statuamus de Y. Nam qui alibi tam inconsulte descripsit librum suum, illum tanta hic cura usum esse, vix est credibile nisi archetypo auctore. Accedit, quod ubicumque in versibus adhuc tractatis nomen cuiusdam rhetoris apparuit (velut XXIX. §. 6, XIV. §. 2, p. 167. 10, p. 269. 27, p. 145. 21, p. 266. 1, p. 85 26 etc.) aut debuit aut potuit in principio versus collocari. Exemplis iam commemoratis alia liceat subiungere. Primum depromptum ex controversia tricesima tertia: ubi (p. 327 l. 17) hoc fuit in archetypo:

TRIARI. Corrupisti duo maxima Promethei mu (l. 35)
nera: ignem et hominem. Quemcumque praeco fle (l. 37)
ntem videret ^{agno}sc[i]ebat. miserabant (l. 37)
ur omnes et fortasse ipse Philippus reduci l. 36
iussisset nisi Atheniensem vidisset emptorem l. 40.

— — — — — — — — — — —

Quod ego fabulosum esse non dubito; set utrum
volt Parrhasius eligat: parum pie aut infama
vit Iouem aut imitatus est.

Post quintum versum unus excidit, qui qualis fuerit, coniectura adipisci nobis negatum est: fortasse tamen huius fere modi fuit:

Iussisse dicitur Iupiter Prometheum torqueri.

Quod iuitium cepi a verbo „Iussisse", eo factum est consilio, quo magis intellegeretur, cur versus esset omissus; nam eandem vocem exordium antecedentis lineae occupasse modo vidimus.

Nec minus p. 149. 16 Cestii nomen in prima sede versus collocatum fuerat: hoc inde efficitur quod post octo archetypi versus duo sint praeteriti, de quibus conferas P. 6. Eodem spectat, quod p. 135. 5 una linea omissa est, quam dudum ex epitome suppleverunt. ibi fuit in archetypo:

1. FVSCVS ARELLIUS iuris quaestioni subiecit non (l. 40)
2. posse illam discedere a viro: nam et hoc illam iu (l. 39)
3. reiurando obligavit. hunc enim animum sine du (l. 39)
4. bio fuisse iurantium ut vivi non diducerentur (l. 38)
5. (cum id quoque caverint, ne morte dividerentur) (l. 38). [*illud* excerpt.]

Huic vitio simile est illud, quod palmaribus coniecturis deinceps Vahlenus (Mus. Rhen. xiii. 546 sqq.) et mox Kiesslingius (ib. xui. 55) emendare certarunt. Legitur enim (87. 1): „Fuscus Arellius inius senuntiae frigidius dixit contrariam illi sententiam“. Quod Vahlenus, quo solet acumine, sic restituit: „Fuscus Arellius (imitator) illius sententiae frigidius dixit contrariam illi sententiam“. — Iure autem alterum ex altero repetitum esse intellexit Kiesslingius in eo tantum, siquid video, deceptus, quod prius delevit. Haec enim fuisse videtur archetypi forma:

FVSCVS ARELLIVS illi sententiae frigidius l. 37
dixit contrariam .....:

Nam ex eadem archetypi linea haec verba bis esse scripta, dissimile est veri.

Iam saepissime invenimus nomina rhetorum initiis linearum potita: dixerit quispiam, hoc forte fortuna evenisse, neque constare, antecedentem syllabam intermissam fuisse. Talia quoque opponenti persuadebunt haec vitia. Velut illa, quam rectissime mihi videtur Bursianus intellexisse in contr. XXVII. (p. 267. 18) inversio, vix potest explicari nisi hac archetypi forma:

Dura fili
Ad tyrannum tibi per patrem eundum est
II. BLANDI. Ut vidi tyrannicidam exardescen (l. 36)
dentem nihil prius quam manus osculatus sum (l. 38)
I. Tenent ecce cruentum tyranni caput: nunc il (l. 36)
los praecidite.

POMPEI SILONIS. Utrum ex filiis meis e. q. s. Deinde vix potest controversia esse, quin eadem neglegentia haec verba sint depravata (p. 196. 19): „Pro dii boni! Ciceronem malo more ten' recisū. Albuci Sili. cedit cernicem tanti viri ut umero tenus recisū amputa caput.“

Erat enim in archetypo hoc:

1. ....Pro dii boni! occisum Ciceronem malo(s)
2. mores (voco)!
3. ALBVCI SILI. Caedit cervices tanti viri et u (l. 36)
4. mero tenus recisum amputat caput.

Similitudine igitur exordii perductus scriba ignarus primo versui confecto, subiunxit quartum: exin errore intellecto quidem nectamen emendato suo ordine tertium quartumque collocavit. Quod est „voco“ neque levi coniectura debetur (excerptor enim exhibet) et aptissimum est. Papilius enim reus est mali moris: tantum autem crimen esse dixit Latro, ut haec actio multo sit levior. —

Eodem spectat, quod p. 159 l. 19 legitur: „IVLI BASSI. Aiebat tyrannus: ure, caede ventrēm. ARGENTARI. Caede ventrem ne tyrannicidas pariat.“

Haec ab eodem disputata esse apparet: quid enim agens Iulius Bassus tyrannum ista loquentem facit, nisi ut ea pergat sententia, quae nunc Argentario tribuitur? Accedit, quod neque in colore neque in divisione Argentari huius pro uxore disputantis fit mentio. Hoc igitur nomen delendum esse appa ret: fuit in archetypo:

IVLI BASSI. aiebat tyrannus: „ure, caede ventrem“. l. 38
age, caede ventrem, ne tyrannicidas pariat. l. 35
TRIARI. non ex formula natura respondet. e. q. s.

Idem patet inde, quod aliquotiens rhetorum nomina inepte repetantur. cf. p. 85. 23:

PAMMENES ex bonis (scr. no vis) declamatoribus dixit.
GORGIAS egregie dixit
PAMMENES dixit

apparet librarium nostrum ad primum articulum recurrisse: nomine semel scripto, ei nihil videbatur interesse utrum rectum esset an falsum. Minus certe iudicandum est, quod p. 227. 22 exstat:

„NEPOS MAMILIUS cum hortaretur libertum
„ad repudium sororis, dixit: refer nobis grati-
„am et tu sororem manumitte.
„NEPOS LICINIUS illi non cessit....“

De Mamilio aliunde nihil constat: itaque fortasse abstinendumst a coniecturis. Set cum sententia magnopere sapiat Murredium, cuius nomen levi coniectura restituitur, veri videtur similius, scribam totum colum omissurum fuisse: deinde iam parte nominis Licini exarata, tanti cum vitii poenituisse.

Atque cum hac in re ad indicium plane certum mihi videamur pervenisse paucas addere liceat coniecturas, nimis fortasse audaces nisi quae modo exposuimus recte se habent. Nam p. 328. 7 hoc exstitisse coniciendum est in archetypo:

1. ARELLI FVSCI patris. Pinge Promethea set ho
2. mines facientem set ignes dividentem: pinge
3. set inter munera potius, quam inter tormenta,
4. FVLVI SPARSI. Inter alteria Olynthii senis
5. crucem posuit; (miserrime senex aliquis fortassis)
6. ex servis tuis felicius servit. utique felicior
7. est, quisquis Macedoni servit.
8. Si ad succurrendum profectus es, queror quod
9. (unum emisti, si ad torquendum, queror quod ullum)
10. Utinam Philippe auctionem cum exemptione
11. fecisses: ne quis Atheniensis emeret.

Hanc vero figuram ut animo fingas necesse est, nisi mavis credere, scribam non unam lineam alteriusque finem omisisse, set tres dimidias. Adice quod in linea quarta rhetoris nomen desideratur, nam omnia ab eodem declamata esse, nemo mihi persuadebit. Quodsi haec archetypi forma certe aliquatenus veri est similis, apparet errore quodam omissum fuisse in linea octava nomen rhetoris. Quid vero scriba cod. X.? Cum intellegeret vitium (atque intellegere debuit, quippe minio solitus rhetorum nomina depingere). egregiam sibi visus est proficere coniecturam, si id quod l. 4 legerat nomen Sparsi huc removeret. Forte enim congruerat (quod in tabella supra descripta vides), ut Arelli Fusci sententia simul cum linea quarta exiret.

Non minore audacia, maiore fortasse fiducia corrigendum

est initium controversiae vicesimae primae (p. 219. 14). Ibi fuit in archetypo:

1. CESTI PII. Soror, opto tibi perpetuam sterilita (l. 38)
2. tem. Cum dicerem: manumittamus servom, aiebat (l. 37)
3. exspectemus sororias nuptias. Ergo tibi, soror, ut (l. 40)
4. honestos habeas liberos adulterandum est? fe (l. 39)
5. cit se similem tyranno. filiam raptis, libertum (l. 38)
6. cruciariis. Plus servo dominus permisit, quam ty (l. 40)
7. rannus: (o matrimonium omni adulterio turpius) l. 38
8. Quis hoc potest credere optandum filiae fuisse, ne
9. finiretur tyrannis, ne rediret pater?... e. q. s.

Eodem modo l. 29

10. BLANDI. Fecit etiam servo iniuriam cui detraxit (l. 40)
11. abstinentiae gloriam. nuptis suis manumissus est (l. 40)
12. (Qui facit has nuptias insanus est aut tyrannus (l. 39)

Quid librarius? Cum omisisset, quae in l. 7 uncis inclusi verba, et totam lineam 12, ea orae adscripsit vel superiori vel inferiori asteriscis fortasse notata. Qui deinde codicem X descripserunt utrumque invicem permiscuerunt: inde exortum est, quod libri exhibent. Hoc perversum esse Bursianus debuit intellegere; apparet enim priore loco dictum fuisse, cur tyrannus clementius egerit patre, nimirum quia tale adulterium minus foedum sit quam matrimonium. Set quonam modo, quaero, ista procedunt: „Plus servo dominus permisit quam tyrannus; qui facit has nuptias insanus est aut tyrannus?“ Quae utcumque se habent certe se recte non habent; emendandi ratio propter sensum non mihi videtur dubitationem subitura et ne propter difficultatem quidem multam.

Ad vicesimam quartam progredior controversiam similibus his vitiis depravatam. Ibi legitur hoc (p. 243. 25).

ARELLI FUSCI patris. Nihil inquid filiae plus possum dare quam Cimonem virum; quando mihi ex eo contingent nepotes? ferrum a lege mihi traditum ad vindictam pudicitiam proïciam? Perdidisti pecuniam Callia, si tales soluisti manus. Damnatus peculiatus nihil aliut heredi suo reliquit, quam se patrem. CESTI PII. Non potest generosus animus contumeliam

pati. Merito tu ex Cimone habere nepotes concupisti. Quid magis in me probasti quam carcerem?

Nulli ex his sententiis debuit Bursianus asteriscum suum non addere: adeo omnia sunt perversa. Primum quid sibi vult, quod patrem dicentem facit: „Quando mihi ex eo contingent nepotes?“. scilicet non multo post aptissima huic legitur responsio:

Merito tu ex Cimone habere nepotes concupisti. (l. 39) Quod cum et unius lineolae spatio cohibeatur, et ibi sententiarum nexum turbet, non possum mihi non persuadere errore illuc esse remotum. Set cave putes iam reliqua esse sana: quae enim sententia Cestii orationem incipit ea minime cohaeret cum insequentibus. Deinde quid agens Cimon „Damnatus“ inquit „peculiatus nihil aliud heredi suo reliquit, quam se patrem?“ nam id consuetudinis est Senecae, ut rhetorum sententias acumine quodam eleganti terminet. Ceteroquin vix dubitari potest quin Miltiadis nomen exciderit. quod vitium unde ortum sit statim compertum habebis. Hoc enim fuit in archetypo:

ARELLI FVSCI patris. „Nihil“ inquit „filiae plus possum dare quam Cimonem virum. quando mihi ex eo nepotes contingent?“ (merito tu ex Cimone habere nepotes concupisti). ferrum a lege mihi traditum ad vindictam pudicitiae proiciam? (non potest generosus animus contumeliam pati) perdidisti pecuniam Callia, si tales soluisti manus.

CESTI PII. (Miltiades damnatus peculiatus nihil aliud heredi suo reliquit quam se patrem) Quid magis in me probasti, quam carcerem?

Omnia sic optime quadrant. Pii inprimis declamatio nunc demum recte procedit. Hoc enim dicit: „Quod me e carcere eripuisti, tibi gratias nullas debeo; idem enim carcer testimonium olim fuit luculentum patris mei probitatis. Quare ipse iure negasti esse aliquid in me gloriosius quam paupertatem“. — Set ut ad scribam revertor, cur lineam tertiam omiserit, id levissima admissa correctione fit manifestum; deinde quod Miltiadis nomen omisit, id eodem consilio videtur egisse callidus librarius, quo p. 279. 27 Montanum Votienum

praeteriit (cf. P. 4 sq.); nimirum quia duorum rhetorum nomina laudari ratus alterum superesse putabat. Ceterum hic quoque patet orae alterutri additos fuisse versus prius omissos.

Itaque cum iam perspectum habeamus et quot literas singuli obtinuerint versus, et qualia fuerint cola, huic rei potissumum est opera navanda, num possimus alicunde colligere, quot lineae paginam occupaverint. Atque cum tot folia cod. Y iam excidisse putandum sit, quo tempore apographon fieret, totidem paginarum finibus utimur. Unius igitur paginae spatium eruetur, siforte congruerit, ut aliquo modo possimus cognoscere exordium eius paginae, cuius ultimam lineam perspeximus ex lacuna. Quae conditiones quadrare mihi videntur in controversia tertia decima: ibi enim p. 160 l. 19 lacunam exstare docemur ab epitomatore maiorem quam quae aliquot lineis omissis possit explicari. Apparet igitur primum, folium hic excidisse, deinde ibidem paginam archetypi finivisse. Huius vero paginae simul non ignoramus exordium ubi exstiterit. Quae enim verba Bursianus iure asterisco denotavit (p. 159. 25)

> Quid faciam? non agam gratias quod indicavit uxori meo nevotis ingratiam
> an *mei nepotis?*

ea ita emendare non licet ut harum sententiarum nexui adaptentur. Quae antecedunt

> Licet lex dies finiat natura non recipit,

maxime sunt idonea, quae Triari disputationem finiant, quaeque secuntur

> Aiebat tyrannus: „indica, nulla tua culpa est“

apparet in eis exstare novi rhetoris initium cuius nomen excidit; potest hic fuisse Blandus quem nostram controversiam declamasse discimus ex p. 162 l. 2; set de nomine nihil certi affirmaverim. Tantum apparet ista verba, quae Bursianus asterisco notavit, sustineri nequire. In media autem archetypi pagina quomodo tot verba aliunde inserta sint intellegi non potest: potest facillime si hic exordium paginae statuerimus. Hinc igitur egressi ad linearum numerum pervenire possumus observatis, quascumque adhuc invenimus scribendi legibus. Atque haec fuit archetypi pagina:

BLANDI. Aiebat tyrannus: „Indica; nulla tua culpa est“. Caeditur: tacet. uritur. tacet: utrum putas mir andum tuum tyrannicidium an huius silentium? Exspectasse aliqua per longum tempus maritum dicitur: quanta laus est servasse, cum exspect asse tanta sit? Alia desiderio viri attonita in ardentem rogum sese misisse. haec non cum viro arsisset quae pro viro arsit? Alia pro incolumitate mariti vicaria morte decidit. Creditisne hanc in tormentis oppressam mortem pro viro praestitisse et siquid amplius elegisset tyrannus?

MARCELLI. Quid? tametsi peccasset in partu ignos ci ei posset: nupserat enim isti occupato. Crudelior est etiam illo quem occidisti tyran no: ille torsit et dimisit ad virum.

ALBVCI SILI. Vicerat saevitiam patientia; deerat iam sanguis: supererat fides. aliquando proiecta est. deserebatur distortis manibus emotis arti- culis. nondum in sua membra artus redierant. Talem uxorem tortor dimisit ad partum. ingra- tus vocabatur quod in praemio nullam uxoris fecerat mentionem. res tuas tibi habe; inicere debuit manum et ipsum te inter res suas tra here. nihil amplius patri debes quam uxori. Mihi crede: maius fuit tyrannicidium pati quam facere.

PARS ALTERA. ARGENTARI. „Ego tamen torta sum.“ merito obiceres nisi te vindicassem.

FULVI SPARSI. Vobiscum iudices loquor.

— — — — — — — — — — — —

Idem linearum numerus ex aliis quoque ratiocinationibus consequitur eisque nescio an etiam dilucidioribus. Quem enim versum supra (P. 12) commemoravimus sententiarum tenorem pervertere (p. 209. 14) eum Annaeus procul dubio post sexa- ginta abhinc versus (p. 210. 29) id est post unum archetypi folium collocaverat. Binos igitur hic quoque simul mem- branas comprendit librarius: deinde alterum iam describi

coeptum ut par erat remisit. Simile huic est illud vitium, quod nobis iam antehac (P. 12) praesto erat, cum de controversiae nonae paragrapho octava ageretur. Nam post id quod est „Viridibus“ leguntur:

> Quid fatiam? si paruero abdicabor; partem amo; haec est contumatia mea

quae verba iam ante centum quinquaginta lineas (p. 117. 27) nobis occurrerunt unde false hic repetuntur. Fac animum advertas (quo pacto erroris origo etiam facilius perspiciatur) illic ea verba post vicesimam octavam ab initio controversiae lineam exstitisse, id est in principio paginae: nam singulas controversias non a mediis paginis exordium cepisse tantum non certum ducendum est; trium vero linearum spatium potuit a titulo occupari. Ad plane idem iudicium pervenimus ex eo quod in initio controversiae primae duae paginae insigni neglegentia bis exstant scriptae. Atque cum totum folium repetitum perse vitium sit vix credibile, multo etiam pravius scriba egit qui iterum non archetypum set suam ipsius descriptionem describeret. Ad quam coniecturam tam dissimilem vero cogi mihi videmur his rationibus. primum enim utrumque apographon in omnibus erroribus multo magis consentit, quam Bruxellensis et Antverpensis: quod quidem a Bursiano notatum amplius etiam et prolixius potuit adhiberi. Neque enim quia utrobique legitur (p. 57 l. 16) „Itaque do poenas. egeo“ id idcirco Bursianus textui inserere debuit; scripsit Annaeus:

> E(gentem patrem vid)eo.

Nullam aliam ob causam ante primam sententiam Latronis nomen excidit, a quo ista declamata esse arguit finis praefationis (p. 56. 11). „Ab ea controversia“ inquit „incipiam quam primam Latronem meum declamare memini admodum iuvenem in Marilli schola cum iam coepisset diem ducere“. Propterquae noli putare Latronis nomine non opus esse, cum magna adcuratione Noster nomina illic quoque addere soleat, ubi error vix nasci alioqui potuit (cf. suas. VI. §. 15; p. 36 l. 2 et 16 etc.). — Deinde in apographo priori complura leguntur, quae frustra in altero quaesiveris: at quaecumque exstant in b (hac enim nota usus est Bursianus) ea in B. non desiderantur.

Accedit quod non semel apparet, lectionem alterius descriptionis ex priore esse ortam. Velut linea 22 iam olim sic emendata est:

„Porrigite mutuas in gratiam manus; me foederi medium pignus addite."

Prius scriptum erat: „Me fide rimedium", at in secundo apographo scriba emendare sibi visus est scribendo „Remedium". Eadem ratione linea quarta decima aliter mihi videtur corrigenda quam Bursiano. Prior exhibuit descriptio:

Parcus quaeso patres

quod altera mutavit in „Parcius". Illud cum primo aspecto arrideat, a Bursiano quoque receptum est. Paullo vero accuratius rem perscrutato vereor ut persuadeat. Nam in tota hac disputatione Seneca fecit iuvenem compellantem avunculum; hic ne idem statuamus certe gravissimis opus est argumentis. Equidem nullus dubito quin in archetypo fuerit:

Parcas quaeso patri

quod cum scriba prius ut praediximus depravasset mox vitium vitio cumulavit.

Alteram descriptionem ex priore factam esse iam liquet; item constat nullum spatium verisimilius repeti potuisse quam totas membranas: — dubium est, utrum folium codicis Y an aut codicis X aut Bruxellensis bis exaratum sit. Quod ultimo loco posui tum quidem probabile esset si bis scripta unum duove Bruxellensis folia occupassent: verum si re vera p. 58 l. 10 huius libri folium exiit, vix effugisset Bursianum alterum apographon nullius pretii esse: quod adeo illum praeteriit ut inique nobiscum agens lectionem Antverpensis altiore etiam quam alias silentio obruerit. Adice quod nullo pacto explicari posset, cur ista ex priore descriptione iterum repetita essent. Ne codicis X quidem duae paginae repetitae esse videntur, quamvis alterum huius manuscripti apographon (dico Antverpensem) haec verba non plus quam semel exhibeat: nam neque quod bis scripta accurate complent duas codicis Y paginas, quales aliunde finivimus, mero casui imputandum est et potuit Antverpensis scriba facillime hoc vitium archetypi sui vitare. Itaque hic quoque error ex archetypissimo nostro effluxisse vero simile est, et hoc quidem modo:

Descripto illo hoc folium excidisse inveniebatur: quod ne liber mutilus redderetur ex apographo restitutum est; posthac folio archetypi invento alterum illud apographon, iam inutile, codici X. inserebatur.

II.

De declamandi ratione et de claris quibusdam vel declamatoriae artis patronis vel ipsis declamatoribus.

Tricenas igitur lineas unam quamque archetypi nostri paginam continuisse constat. Relicum est disserere de origine codicis et de singularum literarum formis. Ac mihi quidem persuasum est archetypum in Italia conscriptum esse cum pro eo quod est „Excipio“ scribi soleat „Scipio“ multaque his similia, quod vero ad literas attinet non dubito quin fuerint maiusculae cum C et G literae eodemque modo R et P sollemni errore interse commutentur. Has tamen quaestiones praetereo, quippe quae breviter tractari nequeant; sin uberius exponantur verendumst ut operae pretium sit. Quae enim hinc orta sunt vitia ea utique facillime emendantur, taedetque me in eis verbosum esse, quae iam nemo non assequi potest. Utilius studium collocatum iri sperabam in Nostri explicatione. atqui de verborum quidem interpretatione apud Annaeum parum agendum est, scriptorem si modo ipsius lectionem invenire possumus usquequaque dilucidum; multo pluris refert ut de rebus accuratius tractatur. quem quidem tractatum tripertire liceat ut primum agatur de declamandi ratione, deinde, quinam potissimum viri declamatoribus hospitium et occasionem praebuerint, novissime de claris quibusdam rhetoribus.

De prima quaestione licet mihi esse brevissimo tamquam a doctissimis viris iam satis explorata [1]. Qui quae re-

---

(1) v. Westermannium hist. el. II. §. 73 et 81, scriptoresque ab hoc laudatos.

liquerunt, aut incertissima sunt aut exigui admodum momenti. Velut nihil proficit investigare, quando quaeque declamatio acta sit: nam quamquam aliquotiens tempus definitum est, tamen haut dubie eadem themata saepius declamata sunt[2]. Tantum liquet omnes sententias, nisi quas Seneca ex aliis relatas accepit dictas esse quo ille tempore Roma versabatur. Huc autem eum Corduba transmigrasse constat non multo post annum 711[3]. Neque inde decessit ante a. 737 quandoquidem controversiae duodecimae adfuit tunc temporis apud M. Agrippam a Latrone declamatae[4]. At sex annis post iam Cordubam reverterat, ibique in matrimonium ducta Helvia, filium sustulit Novatum, et post[5] hunc Lucium, Cordubae[6] natum anno fere 745[7]. Qua cum computatione cummaxime consentit, quod Seneca illam de Ovidio narratiunculam[8] (quam accidisse non multo post artem ab Ovidio editam id est post Martium mensem a. 752[9]) non, ut solet, ex sua ipsius memoria set tamquam ab alio sibi relatum profert. Revertit Romam ante a 757[10], ubi non controversia est quin quinquennio post etiamtunc versatus sit[11].

---

(2) Primam controversiam Noster disertis verbis auctor est dictam esse in Marilli schola a Latrone etiamtunc iuvene (praef. c. I. §. 24 p. 56. 12). Eadem vero apud Cestium dicta est (contr. I. 1 §. 22 p. 65. 25); nec non tertia controversia bis declamata est: prius ‚vivente adhuc Latrone, i. e. ante a. 750; iterum post a. 762 in aedibus Cestii. — cf. p. 32. 21, suas. IV. p. 14. „Et is (Polio) etiam occasionem alterius suasoriae dedit. Solent enim scolastici declamare.“ e. q. s. — (3) Contr. I. praef. §. 11, p. 50, 7, ubi mirum est, quod Calvi Licini obliviscebatur, eius quoque antequam Romam Annaeus venisset mortui. — (4) §. 12 p. 155. 1 coll. Noris. Cen. Pis. II. 1, p. 348. Posthac comprobabimus, Annaeum simul cum Latrone in patriam rediisse, ut etiamsi non isti controversiae affuerit, ante a. 737 non Roma decessisse eum appareat. — (5) L. Seneca epigr. 8. 1. Sic mihi sit frater maiorque minorque superstes. — (6) Mart. ep. I. 61. 7. — (7) De tranq. an 17. 7 „qualem Polionem meminimus quem nulla res ultra decimam retinuit.“ cf. Lehmannium Phil. VIII., p. 310. — (8) Contr. II. 10. 12, p. 138. 7. — (9) Ovid. art. am. I. 172. — tertius Artis liber duobus prioribus iam publici iuris factis subiunctus esse videtur: nom quod (I. v. 38) pollicetur poëta se tractaturum esse, id cum libri secundi fine completum est. — (10) Praef. l. IV. §. 3. p. 375, 22. — (11) Contr. I. 3. 10. p.

Vides quam haec dubia sint: non certius iudicium est de loco, quamvis in universum constet quascumque Noster commemorat sententias, dictas esse aut in scholis[12] in quas adulescentes mineruali dato[13] deducebantur, aut populo admisso sine apud rhetores[14] sive in locis publicis[15]. Nobiles quoque viri in aedes suas convocabant, qui se declamantes audirent:[16] quod de Haterio[17] diserte proditum ad alios referri potest, velut Passienum, L. Nonium[18] ceterosque, qui ordini senatorio adscripti ipsi declamasse dicuntur. Alii adhibebant rhe-

---

82. 7. de reliqua Senecae vita videas Teuffelium[2] §. 264. Koerberi dissertationem (de rhetore Seneca eiusque aequalibus) germanice scriptam apisci nequivi. — (**12**) Contr. I. 1, §. 22, p. 65, 25. contr. I. 3 §. 10 p. 81. 27. suas VII. §. 12 p. 43. 30. „apud Cestium Pium declamabat hanc suasoriam Surdinus ingeniosus iuvenis. — contr. IX. 25. §. 23 p. 258. 5 „ipse enim audivi Florum quondam auditorem Latronis dicentem non apud Latronem: neque enim illi mos erat quemquam audire declamantem.“ — (**13**) cf. interprett ad Iuven. sat. VII. 186. — (**14**) Suet. de. vir. ill. c. 7 (p. 105 Reiff.) M. Antonius Gnipho docuit primum in Divi Iulii domo pueri adhuc, deinde in sua privata. — (**15**) Siquidem huc referendumst quod dicit Tranquillus (rh. c. 15. p. 112. 4 Reiff.): (Lenaeus Magni Pompei libertus) docuit in Carinis ad Telluris in qua regione Pompeiorum domus fuerat“ Ad tales fortasse declamatioues respicit dialogi quoque auctor c. 35: „at nunc adulescentuli nostri deducuntur in scenas scolasticorum qui rhetores vocantur. — (**16**) Contr. praef. l. X. §. 4. p. 292. 2 „declamavit (T. Labienus, de quo optime quantum scio disseruit Weich. Cass. Parm. p. 319—324) non quidem populo set egregie. non admittebat populum et quia nondum haec consuetudo erat inducta et quia putabat turpe ac frivolae iactationis. — (**17**) Praef. l. IV. §. 7 p. 377. 6. — (**18**) Noniorum genealogia fuit haec:

L. Nonius L. f.
Quinctilia Sex. fil. Vell. II. 120. 1.

Q. Nonius Torquatus.	L. Nonius Asprenas cons. suff. 759 Dio 56, 22 Sen. contr. X. pr. §. 2, p. 291, 3.	P. Nonius Asprenas.	Sex Nonius Quintilianus L. f. L. n. cons. 761 fasti Capit. C. I. I. p. 442.

Quintum cos. suff. fuisse immerito concluserunt ex titulo Gruteriano p. CLXXXVII 10) omnino illo spurio. Eundem Quintum Orellius (ad Hor. od. IV. 7), Frankius (Fasti Hor. p. 201), Weichertius (Cass.

tores in contubernium suum ut Plancus Albucium Silum [19] Polio Timagenem [20], similique pacto Iulius Sabinus Occium Flammam [21] in provinciam est secutus. Id vero saepissime usu evenit, ut nobiles viri pecunia data [22] declamantium coetus convocaverunt inque eorum auditionem familiares adhibuerunt. Sic P. Vinicius filius [23] consulis suffecti a. 735 adsciscebat

---

Parm. excurs. I. 302—319) Gaïum vocant Suetonii (Aug. 43) auctoritate usi seu potius interpolatoris: optimi enim codd. Rothio teste praenomen non addunt. Quintum Orellius arguit nominari in fastis Capitolinis; qui cum inde ab anno 741 per totum vicennium nos deserant, paene metuo (quod pace viri doctissimi dixerim) ne Orellius spectet ad titulum Gruterianum supra memoratum: „L. Manlio Q. Torquato | cos. | imp. Caesar divi f. | Augustus | pont. max. trib. pot. XVII. | imp. XIIII.“ — Hic Torquatus (quem male Teuffelius [2] §. 262. 2 eundem ducit aut Lucio aut P. Nonio) Moscum Apollodoreum venefici accusatum ab Asinio Polione (cf. contr. II. 13. 13. p. 161. 24) defendit; posthac ipse a Cassio Severo (Suet. Aug. 56. Quint. X. 1. 22.) veneficii accusatus ab eodem Polione defenditur. — (**19**) Suet. rh. 30 p. 125 Reiff. — (**20**) Sen. de ira III. 23. — (**21**) Contr. VIII. 27 §. 19 p. 273. 15. — (**22**) Contr. VIII, 26 §. 14 p. 265. 24. „Dixit Haterius quibusdam querentibus pusillas mercedes eum accepisse“.... e. q. s. — (**23**) Bursianus et (quod cum summa tanti viri reverentia dictum sit) Borghesius (opp. II. 34) non recte mihi videntur hunc Publium Lucii fratrem statuere. Quem quidem errorem praeterirem tamquam iam a Nipperdeio (Tac ann. III. 11) emendatum, nisi in eundem incidisset Teuffelius [2] §. 263. 10. Fuit Viniciorum genealogia haec:

M. VINICIVS.

P. Vinicius C. I. I. p. 466.

M. Vinicius. P. f. cons. suff. 735. Dio 53. 26. Vell. II. 104. 2. 96. 2.

P. Vinicius M. f. rhetor celeberrimus cons. 2. Vell. II. 103. 1. Tac. ann. III. 11. Non. Marc. sub voce Bubulcitare.

M. Vinicius cons. 30 et 45. † 46. (Dio 60. 27). in matrimonium duxit Germanici filiam (Tac. ann. VI. 15).

L. Vinicius IIIvir mon. 696 (C. I. I. p. 140) trib. pl. 703. Cic. fam. VIII. 8. 6. cons. suff. Kal. Sept. 721 (fasti Venusini C. I. I. 471). de hoc loquitur Sen. contr. II. 13. 19. p. 164. 24.

(L. Vini)cius L. f. M. n. cos. 749. (fasti Luceriae reperti C. I. I. p. 473). cf. Borghes. ann. dell inst. XX. p. 236. opp. I. 355. „clarus decorusque iuvenis (Suet. Aug. 64).

Montanum Votienum[24] et Surdinum Cestii discipulum. Quae declamationes aliquotiens in plures dies propagabantur ut Latro unam suasoriam per triduum declamaverit:[25] certamina quoque instituta esse quamquam non diserte traditur[26] perse verisimile est. Inter hos declamationum institutores fuit C. Sosius[27] ille, qui optimatum[28] mox Antonii partes secutus eiusque in Syria legatus[29] ad consulatum evectus est anno 722[30]. Posthac bello Actiaco exorto Caesar illum Antonio incolumem remisit[31]. Apud hunc Sosium Corvos declamavit; eodem

---

ex quo stemmate efficitur recte a Nipperdeio emendatum esse contr. II. 13 §. 19. ibi enim scribendum est: „L. Vinicius pater". — (24) Contr. XX. §. 7 p. 217. 13 quae verba adeo sunt depravata ut nunc videatur potius Montanus ipse apud Vinicium declamasse. quod quam vero sit dissimile liquet ex praef. libri IX., ubi (p. 241 l. 10) Annaeus non modo negat Montanum umquam declamasse set etiam graviter in scolasticos invehentem facit. Eundem ipsum Montanum ab eodem Seneca non potuisse scolasticum appellari eo manifestius esse mihi videtur, quod haec vox proculdubio nullam aliam ob causam hic legitur, quam quia post sex linearum intercapedinem exstabat „Gravis scolasticos morbus invasit". Fuit enim hoc fere in archetypo:

ad Montanus adeo toto animo * (placabilis) -
38 erat ut eodem die quo accusatus est a Vinicio
38 (hunc declamantem audiret: declamatione
38 finita Montanus) disceptavit in Vinicii actio(nem)
37 et sententias eius referebat. Elegantter illi
37 Surdinus: „Rogo" inquid numquid putas illum al-
38 teram partem declamasse? gravis scolasticos
morbus invasit." et quae secuntur.

Alibi quam Bursianus lacunam collocavi; huius enim vereor ut ullo modo suppleri possit. quod porro scripsi „Disceptavit" id apparet a Bruxellensi propius abesse quam illud Bursiani „disceptarit". — (25) Contr. II. 12 §. 8 p. 152. 25. — (26) Neque enim recte Westerm. §. 81 adn. 25 huc refert Suet. Cal. 20. — (27) Suas. II. §. 21 p. 18. 4. — (28) Cic. ad Att. IX. 1. 1. – (29) Antonius Samosatis expugnatis (Ios. XIV. 15. 9) cum Herodi a senatu in Iudaeae regnum vocato suppetias misit cum triginta milibus militum (Ios. ant. XIIII. 16. 1). Hierosolymis captis Antigonus ad Sosium perfugit (ib. §. 2: b. i. I. 18 §. 2). Proconsulari imperio eum usum fuisse ex actis triumph. a. 720 (C. I. I. p. 461. C. Sosius C. f. T. n. procos ex Iudaea an DCCXIX IIII. non. sept.) non consequitur. — (30) Fasti Venus. C. I. I. 471. — (31) Vell. II. 86. 2. Plut. Ant. c. 24. Suet. Aug. 17.

modo apud Lamiam Furius Saturninus[32] quamvis ipse nobili loco natus apudque Ciceronem filium Hybreas filius[33]). Theodotum consulto praetereo lectione adeo dubia ut vix dubium sit quin Gronovius recte emendaverit[34]). Praecipui vero declamatoriae artis auctores fuerunt illi viri clarissimi, qui favore et exemplo suo omni literarum generi profuerunt, M. Agrippa[35], Messalla Corvinus, L. Munatius Plancus denique Polio Asinius, cuius eloquentiae laus Galli fili[36] gloriae oberat.

Verum enimvero iam lento cursu et paene inscii in alteram quaestionem delapsi sumus, quam movimus de claris viris auctoritate et exemplo suo declamatoriam artem augentibus. Accidit autem ut ex tanto numero unum certe possimus praeterire quem constat Annaeum non frequenter in coetus suos adscivisse: Asinium dico, a quo Timagenem audimus in contubernium receptum esse[37], historicum clarissimum eundem fortasse rhetorem[38] cuius vitam descripsit Euagoras Lin-

---

Dio 51. 2. — (**32**) Contr. VII. 21 §. 22 p. 227. 5. — (**33**) Suas. VII. §. 14 p. 44 l. 20, nisi id dictum est de iurisdictione praetoria. — (**34**) Contr. II. 12 §. 8 p. 152. 25; — cf. Quint. II. 8 §. 55 („solent in scholis fingi materiae ad deliberandum similiores controversiis et ex utroque genere commixtae ut cum apud C. Caesarem consultatio de Theodoti poena ponitur); debuit igitur Bursianus scribere: „de Theodoto". — (**35**) Contr. II. 12 §. 12 p. 154. 27. — (**36**) Asinius Gallus diem supremum obiit anno 33 (Tac. ann. VI. 23) itaque apud Hieronymum 2030 = 14 una linea intercidit, ut scribendum sit: C. Asinius Gallus orator Asini Polionis filius cuius etiam Vergilius meminit (clarus orator agnoscitur qui postea) diris a Tiberio supplicationibus enecatur. — (**37**) Sen. de ira III. 23. — (**38**) Suidas tres huius nominis viros nominat, primum Milesium historicum (quem laudant Quinct. I. 10. 10. Sen. de ira III. 23. Ios. contr. Ap. II. 7 antqq. XIII. 11. 3; 12. 5; Curt. II. 5. Plut. symp II. 1. 13. cf. R. Petersdorff: Diodorus Curtius Arrianus quibus ex fortibus expedit. ab Alex. fact. hauserint Gedani 1870); deinde Alexandrinum rhetorem qui a Gabinio Romam ductus usque in Augusti tempora duraverit in Tusculano consenescens. Inter utrumque geographum collocavit aperte nescius utrum esse eum statueret. Hic *περίπλουν* totius maris scripsit. Suidam secutus est Vossius (de hist. graec. I. c. 24) nisi quod recte geographum eundem esse censuit atque historicum. Ne rhetorem quidem ab hoc diversum esse coniecit Thorbeckius (de Asin. Pol p. 100. 39) quamvis ille quidem dubie: eandem opinionem mox Weichertius (de Iarbita Timagenis aemulatore §. 2

dius[40]. Hunc igitur Annaeus debuit cognoscere siquidem ei in consuetudinem verterat declamationibus in Polionis aedibus actis adesse. Verum tamen illius sententias Annaeus nusquam nobiscum communicat[41]. Eandem ob causam Maecenatem quoque praeterire licet; quamquam de hoc paullo incertius fortasse iudicium est; set ratione ducta consuetudinis qua Seneca aliquantillum gloriari solet de claris suis familiaribus, non dubitabimus, quin ne hic quidem cum Nostro singulari amicitia coniunctus fuerit; alioqui Horatii mentionem fecisset, adeo frequentis apud illum hospitis. Reapse autem neque hunc neque Vergilium commemorat ut quos ipse viderit. Constat Cilnium aut omnino non rhetoris professores ad se adhibuisse aut non Senecam. Quodsi non arrogantis est opinionem proferre mera coniectura deductam Maecenas prorsus a declamationibus abhorrebat tamquam frivolis; nam quamvis ipse insigni mollitie non sibi conciliavit nisi poetas magno tam sententiae quam formae candore et sublimitate, rhetorum acumina dedignatus.

Horum igitur uterque parum in cogitationem nostram cadit. Inter reliquos longe primum locum sibi vindicat M. Agrippa auctoritate omnes praeter principem, ingenio omnes fortasse aequales praecellens. De tali viro quae Frandsenus[42] conscripsit iis de meo vix habeo quae opponam. Solum quod dicit Agrippam decem annos fuisse Orientis rectorem, hoc

---

adn. 7 = rell. p. 396) professus est tamquam certissimam et ne argumento quidem dignam. quam veri similem esse concedo certam nego obstante differentia originis. Ceterum num uterque Timagenes idem fuerit, in id quod nunc agimus nihil refert: nam si idem fuit historicus atque rhetor debuit Annaeus sententias eius laudare, quamvis ille Tusculis versaretur: quid enim agens Polio rhetorem in hospitium recepisset nisi ut amicos in auditionem eius invitaret? Aut igitur ille Romam aut Tusculum amici transmigraverunt ad declamationem. Sin non idem fuit historiographus et rhetor ille a Suida commemoratus, non secus se res habet: utique enim etiam historiographum declamasse arguere mihi videtur contr. X. 34 §. 22 p. 333 l. 23. — (40) Suidas *Εναγόρας*. — (41) Eodem ducit praef. l. IV. „Asinium audivi et viridem et postea iam senem". an hoc Annaeum dicturum fuisse putas de eo quocum diuturna amicitia coniunctus fuerat? — (42) P. S. Fraudsenus de M. Vipsanio Agrippa. Altonae 1836. —

ille a me non impetravit ut concederem quamvis a doctis viris concessum. Magna quidem nititur auctoritate, Iosephum dico, testem, ut Mommseni[44] verba mea faciam, luculentum et peritum et cui non est cur fidem negemus. Ille igitur haec exhibet:[43] *Ἀγρίππα γε μὴν ἀντίοντι εἰς τὴν Ῥώμην μετὰ τὴν διοίκησιν ἐπὶ τῆς Ἀσίας δεκαετῆ γεγεννμένην πλεύσας ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας καὶ συντυγχάνων....* et quae secuntur. Potest hoc dictum esse duplici significatu quandoquidem aut de iure aut de facto agitur. De facto non agi apertum est: quis enim nescit Agrippam inde ab a. 733 per quinquennium non in Oriente moratum esse? de iure non agi inde efficitur, quod Augustus imperium non ultra demendare potuit quam ipse acceperat, h. e. ultra a. 737. Quod aeque valet, sive Agrippa non fuit nisi legatus Augusti, sive quod magis probaverim ille eum collegam quasi minorem cooptaverat. Utrinde igitur quod Flavius exhibet, absurdum est: iam ipse videas utrum auctori ipsi an scribae neglegenti[45] vitium imputare malis. At quaecumque aliunde scimus de M. Agrippa, ea consentire mihi videntur imperium cum illo sic communicatum fuisse a principe, ut utervis alternis vicibus mox Orienti mox Occidenti praeesset. Hoc mihi liceat quam brevissime exponere.

1. 733—735. Augustus in Orientem profectus Armenicas res componit, Agrippa Romam se confert. Illic eum non praefectura urbis functum esse ex Frankii accuratissima dissertatione[46] iam constat inter omnes. Hoc potius Augustus commiserat ei viro, cuius ingenio omnium maxime fidebat, ut auctoritate sua omnibus magistratibus temperaret. Neque, quo errore etiam Frankius perductus est, imperium Agrippae intra pomeri fines cohibebatur set spectabat, quodcumque citra superum mare positum est. Alioqui debuit Agrippa aut tunc Romam reverti, cum Augustus in Siciliam decessit, i. e. a. 732,

---

(**43**) Antiqq. XVI. 3. 3. — (**44**) Mon. Ancyr. p. 113. — (**45**) Scribendum fortasse levissima mutatione *IETH* pro *ΓΕΤΗ*. id eo est verisimilius, quod inde ab a. 731 usque ad a. 733 longe alia potestate Agrippa in Oriente versabatur quam postea: ut vix ei anni in decennium computari possint. — (**46**) De praefectura urbis Berol. progr. 1850.

aut quo tempore urbanae seditiones exortae sunt: ad has tamen pacandas princeps maluit consules adse accessere. Tunc demum M. Agrippa in Italiam venit, cum socer trans Ionicum mare vectus est. Deinde non diutius Romae mansit (quod debuit siquidem urbanam custodiam princeps ei demandaverat), set in Gallias profectus est: mox, ibi Germanis etiamtunc tumentibus sedatis in Hispaniam contendit. Hic Cantabri rebellaverunt contra P. sive T. Carrisium[47] cum crudelitate tum mollitie nobilissimo cuique invisum: illi provincia adempta Agrippa pacavit Cantabros. Frandsenus quidem hanc expeditionem annis attribuit 734—735 quod nuper Arnoldius[48] refutavit eo potissimum argumento usus quod a. 735 Iccius iam non potuit ignorare[49], Phraatem ab Augusto ius imperiumque in Armenios accepisse. Rectissime quidem haec disputavit Arnoldius: potuit tamen vel disertiore teste uti, nimirum titulo illo Hispano:[50] „(imp.) Caesari | (Aug. cons.) imp. VIII. (trib. pot. II. [*vel III.*]) | (M. Agrippa L. f.) cos. III. (principi optim)e merito“. qui non potest non Agrippae nomine suppleri praeter quem tunc temporis nemo consulatu ter functus erat. Apparet hanc inscriptionem ante a. 734 confectam esse: alioqui novies imperator Augustus dicendus erat[51]. Hoc igitur tempore Agrippa in Hispania aut erat aut fuerat: nam aut praesenti illi aut iam Romam reverso hunc titulum dedicatum esse veri est simillimum.

2. Per proximum biennium et Augustus et gener eius Romae manserunt, donec decennale imperium prorogaretur. Ludis hic praeerant saecularibus: Augustus erat ex quinque praesidibus XVvirorum (quinque enim praesides erant non quod Fraudseno in mentem venit unus[52]). Agrippa non inter praesides fuisse videtur. Mox a. 736 in quinquennium accepit tribuniciam potestatem: idem collega a principe cooptatur in censura morum.

3. 737—741. Iterum principatus dispertitus est inter Augustum et Agrippam: hic Orienti praeficitur ille invicem

---

(47) Eckhel. V. 164. — (48) De Hor. ep. I. 12 ann. Fleckeys. 1870 p. 619—647. — (49) Hor. ep. I. 12 v. 27 sq. — (50) C. I. II. 472. — (51) Eckh. VI. 94. — (52) Mon. Anc. p. 64.

Occidentem capit. Iam apparet cur Caesar a. 738 quo Roma abiit non vicarium qualem Agrippam ibi reliquit, set praefectum urbi. Nam consuetudinis erat Augusti praefectos nominare quotienscunque ab urbe quidem aberat in Occidenti tamen versabatur. Ita a. 727 in Galliam discessurus Messallam praefectum urbis fecerat: qui ubi sexto die se abdicavit magistratu tamquam incivili Maecenatem praefecerat rebus urbanis nomine etiamtunc omisso. M. Agrippa interea Syria et Palaestina percursis bellum intulit Bosporanis. His annis merito Boeckhius adscribit titulum illum notissimum bilinguem [53].

4. 741—742. His quoque annis videtur Augustus principatum cum genero communicaturus fuisse: quippe hic ex Oriente arcessitus Illyros pacavit: vix reversum Capuae mors circumvenit, priusquam princeps ab urbe recesserat. — Haec mihi magis videntur quadrare quam quae refutari possint propter ambigua Flavii verba eaque utique perversa.

De talis viri studiis doctrinae investigare non operae pretium est: nam quamvis non modo poetas doctosque artifices set etiam quod magis in considerationem nostram cadit rhetores in domum suam admiserit [54] tamen non ultra maximi cuiusque principis negotium artibus patrocinatus esse videtur Itaque hoc quoque omisso transeo ad Valerium Messallam Corvinum cuius in eloquentia studia spero fore ut aliquanto accuratius cognoscamus. — De Messallae anno natali nuper egit Nipperdeius [55], cuius in sententiam, quamvis egregie rem difficillimam perscrutati, non potui concedere. Hieronymus enim ad a. 2027 = 11 p. Chr. adscripsit haec: „Messalla Corvinus orator, ante biennium quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno aetatis LXXII". Hinc colligendum est Messallam decessisse a. 766 = 13. quocum plane consentit Frontinus [56]. Hic in cura aquarum Messallae successisse auctor est Ateium Capitonem Silio et Planco coss. (= 766). At Ovidius Messalino Corvini filio scribit [57] composuisse se patre illius mortuo carmen

(53) C. I. Gr. 1299. — (54) v. adn. 35. — (55) Philol. XIX. — (56) De aquaeductib. 102. — (57) Pont. I. 7. 27—30.

funebre foro canendum. Dixerit quispiam potuisse has naenias ex Ponto mitti: concedo quamvis parum probabile; non maior erit consensio. Primum enim ex Ponto librum scripsit Sulmonensis poeta hieme anni 764:[58] hoc autem anno Messalla etiamtunc vivebat. Accedit quartus testis auctor dialogi de oratore qui Aprum dicentem facit[59] Corvinum in medium usque Augusti principatum, Asinium paene ad extremum duravisse. Haec tamen utique falsa sunt, alioqui Messallo a. fere 740 mortuus esset, natus igitur a. 668, neque ad consulatum pervenisset nisi sexagenarius. Apparet ista esse repudianda neque dialogi auctori posse imputari: emendavit palmari coniectura Nipperdeius qui pro eo quod est „Medium“ restituit „Extremum“ ita ut paene extremae Augusti aetati extrema opponeretur. Hactenus hoc illi egregie cessit; at nimis Ovidii testimonium veritus Hieronymum simul et Frontinum prorsus neglexit. Horum autem consensus maior est quam qui casu explicari possit. Et num, quaero, critici est dissidentibus testimoniis nullum sequi set media quadam via capta omnia falsa ducere? Quid quod Nipperdeius suam ipsius coniecturam parum probabilem reddidit? Nam propterquod Borghesius, qui Asini Messallaeque nomina interse esse invertenda censuerat[60], merito Nipperdei notam subiit, nimirum quia a. 757 tamquam media aetas non posset opponi anno 762 tamquam extremae, id nisi fallor in Nipperdeium ipsum cadit. Nam cum a. 757 paene extrema Augusti aetas diceretur potuitne a. 761 extrema vocari? Hoc enim anno ille Messallam obiisse ponit. Quodsi paullo accuratius rem tractaveris, intelleges ne potuisse quidem aut Frontinum aut Hieronymum decipi. Hic enim auctorem sequitur Suetonium, qui non potuit Messallae mortem non addere; Frontinus autem testis est gravissimus ut qui tabulis publicis usus sit. Neque potest longior intercapedo poni inter Messallae mortem et Atei successionem. Itaque duplex Frontini et Hieronymi testimonium praeferendum est simplici Nasonis et siquid video ne simplici quidem. Set quoniam mihi acquiescendum videtur in eo in quo non licet

---

(**58**) cf. I 2. 28. I. 8. 28. — (**59**) c. 17. — (**60**) opp. I. 408 = ephem. arcad. 1822 p. 243 sqq.

nisi dira necessitate coactis, iam investigemus opus est ultimum refugium in quod possit aliquis se recipere. Potuerit enim quispiam dicere hanc epistulam non ad Valerium Messalinum (cos. 751) scriptum esse set ad fratrem eius Aurelium Cottam: genitorem dictum esse patrem adoptivum[61], neque agi de Corvino set de illo Aurelio. Haec quoque plane refutanda sunt, quandoquidem constat revera hic Valerium dictum esse: cum fratre familiaritate singulari poeta coniunctus erat, Valerium non cognoscebat nisi per illum. Quod quam maxime in elegiam nostram cadit[62]. Adice epistulam alteram libri secundi ubi idem Messalinus tamquam Illyrici domitor celebratur. Iam ipse vides nihil nobis relictum esse quam ut quamquam inviti distichon illud (Pont. I. 7. 28 sq.) Ovidio abiudicemus. Quaeris cui bono fuerit, duos eiusmodi versiculos comminisci: eidem fortasse, qui quoddam in Messallae obitum conscripserat carmen illudque tamquam Nasonis probare hoc disticho studuit.

Noli vereri ne totam Corvini vitam eadem copia percenseam. De reliquis enim Wiesius ita disseruit ut ne nunc quidem quantum scio plura adicienda sint. Licet igitur transiri ad Messallae in rhetorice voluntatem et studia. Fieri quidem non potest quin id genus explicationi aliquid incerti et dubii insit; atque quomodo ipse a Teuffelio (²§. 218) dissentio ita aliquatenus alius aliter Messallae indolem animo concipere poterit. Veri tamen simillimum hoc esse puto. Cum Teuffelius neget Messallam aequalium more in declamationes devertisse, prorsus contra ille mihi videtur inter praecipuos artis declamatoriae patronos fuisse, quippe qui non ad declamationes tantum rhetores adhibuit set etiam ad suam familiaritatem[63]. Ciceronem admirabatur quidem[64], ita tamen ut quidquid ille ingeniosius et elegantius dixisset potius reciperet quam sublimia et fortia: quare Fabius[65] illum inter candidos et nitidos oratores inserit. Plus etiam Cicerone verborum cultui attribuit, ipse re vera tam diligens sermonis latini observator ut

---

(**61**) cf. exempli gratia Artis I. 197: Miror quod lexicographos hic significatus haud ita rarus effugit. — (**62**) u. 55. 58. — (**63**) Suas. III. §. 6 p. 21 l. 16 sq. — (**64**) Suas. VI. 27 p. 38. 10 sq — (**65**) Quinct. inst. X. 1. 113.

ne Latro quidem ei satis facere posset[66]. Eodem spectant, quae auctor dialogi Aprum, eloquentiae qualis ex fine octavi saeculi evaserat, defensorem dicentem facit:[67] „Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus et in verbis magis elaboratus“. Fuit igitur et Messalla ex eis qui eloquentiam Romanam novicio nimiae elegantiae morbo affecerunt qui duravit in medium usque nonum saeculum quemque Vipstanus et Maternus (a quorum parte auctorem ipsum stare manifestum est) e medio tollere student. Adeo autem Messalla acumina et eleganter dicta adamabat ut ea etiam in poeticen[68] transferret quocum egregie consentit quod non aut Vergilium aut Flaccum sibi conciliavit set ingeniosiores quam sublimiores poetas Ovidium ceterosque recentiores; quorum politam lasciviam non modo in aliis concessit, set ipse quoque adfectavit:[69] in omni artis genere tamquam iam intermedius inter Augusti temporis elegantiam modicam ideoque decentem et nimiam posteriorum.

Haec de Messalla sufficiant; transeundum est ad illam quaestionem quam tertio loco collocavi, qua disseretur de eis quos vel recitasse vel declamasse constat. Hanc quoque quaestionem in tres dividere liceat: primam de poetis, alteram de artis oratoriae praeceptoribus novissimam de declamatoribus:[70] qua ultima tractatione quamvis longis ambagibus ad illum regrediemur propter quem totam hanc disquisitionem suscepimus Annaeum Senecam.

Inter poetas quidem praecipue Ovidius occurrit non modo Nostro[71] sed etiam eius amicis Messallae[72] et Gallioni[73] insigni

---

(66) Contr. II. 12 §. 8 p. 152. 20. — (67) c. 18. — (68) El. ad Mess. 34. Carmina cum lingua tum sale Cecropio. — (69) Plin. ep. V. 3. 5. — (70) Qui quomodo a praeceptoribus distincti fuerint docet Quinct. X, 1. 15. cf. Suet. de cl. rh. 1. — (71) Contr. II. 10. §. 8 p. 135. 30. VII. 16. 28 p. 195. 12 etc. — (72) v. adn. 57. — (73) Ex Ponto IV. 11; suas. III. §. 7 p. 21. 30 „hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse“. id quod est „Hoc“ non videtur recte se habere; neque enim suum cum Tiberio colloquium potuit Gallioni Ovidio enarrare quippe quod habuit demum post Haterium mortuum i. e. a. 777

familiaritate devinctus. Cuius vitam vobis remitto tamquam a Massonio aliisque magna cum accuratione descriptam. Nihilominus observationibus quibusdam metricis certius nisi fallor definiri potest quando quaeque elegia composita sit. Quod quo setius copiose explanem impedit huius dissertationis consilium; unum tamen liceat breviter adstringere et facile ad comprobandum et perse aliquantuli fortasse momenti. Tanta enim diligentia Ovidius vitabat in eis carminibus quae media suae vitae aetate scripsit pentametros in brevem vocalem exeuntes ut procul dubio, ubicumque licebit, hac sede iambicae formae pyrrhichicis praeferendae sint[74]. Pluris etiam refert quod pyrrhichici pentametrorum exitus cum in serioribus carminibus promiscue inveniantur in iuvenalibus paucas inter elegias ita sunt distributi ut singulis poematiis saepius bini ternive inserti sint[75]. Quod aut propter nimiam istorum carminum neglegentiam factum esse putandum est aut idcirco, quia Ovidius in illis hanc legem nondum sibi imposuerat. E quibus opinionibus utram sequamur iam non ambigere licet considerantibus nobis in vetustissimo quoque carmine saepissime brevem vocalem finire pentametros. Neque enim in elegiis singulos libros aut incipientibus aut finientibus haec regula plus quam semel[76] neglegitur neque in ceteris quascumque

---

si Hieronymo vel 773 si Cornelio (ann. IV. 61) credere praestat; potuit enarrare ei fabulam illam. itaque fuit fortasse in archetypo: eandem“

„hanc. — (74) Itaque non video cur in amor. I. 3. 22 = I. 10. 4 editores non maluerint restituere id quod est „Avi“ quam formam volgatissimam fuisse apparet ex Charisio (p. 125 Keilii). Eodem modo in illo pentametro (A. A. I. 324 = III. 252) auferendi casus mihi videtur mutandus in dativum, quem in istum significatum advocare Ovidio in consuetudinem vertit. Aliter excusatur quod exstat in Arte (II. 670) „Curva senecta pede“ quae verba Naso suo more mutuatus est a Lygdamo (5. 16). — (75) Her. IV. 60. 106. V. 30. 54. 136. VI. 98. 148. X. 46. 136. XII. 120. 196. am. I. 8. 62 et 80. II. 9. 8 et 52. II. 17. 2 et 20. II. 19. 12 et 48. III. 7. 8 et 56. — (76) Am. II. 1. 26. Videlicet in elegia undevicesima libri secundi legitur v. 12 „Iussit abire pedĕ“ et v. 48 desinere esse meă“. Haec vero elegia aut non hoc loco collocanda est aut omnino Ovidio abiudicanda. Nam cum omnibus Amorum libris et praemissa et subiuncta sint carmina vel introductura vel conclusura, ista elegia non modo ineptissimus

conicere licet seriori tempori esse ascribendas. Nam et Didonis epistula et naenia Tibulli istis versibus vacant eodemque modo eae, quas quoniam am. II. 18 non commemorantur, verisimilest post hoc carmen scriptum esse, epistulae tertia decima et octava[77]. Arti vero amatoriae non plus quinque eiusmodi versus insunt.

Quibuscumque igitur in carminibus severius hanc legem observatam esse invenimus ea post a. fere 735 composita esse nisi alia obstant probabile est. Simile aliquid accidit in elegiis posterioribus. Nam cum in carminibus iuvenalibus prorsus nullus pentameter non exeat in bisyllabum[78], postea poeta hanc legem magis magisque neglexit, ita ut si nihil aliud haec sola observatio comprobatura esset carmina ex exilio missa, chronologice fere quod dicitur, collocata esse. Primum huic neglegentiae indultum est Fast. V. 584 „fluminibus“ iterum ibidem VI. 660 „funeribus“. Set cum in Fastorum libro primo quem solum Tomis retractatum esse Merkelius[79] demonstravit, id genus pentameter non inveniatur, apparere mihi videtur, cura ista secunda non plures versus denuo additos esse: nam Ovidium sublimius poetices genus accuratius quoque polivisse idcirco parum crediderim, quia ne in secundo quidem Tristium libro ad ipsum Augustum misso dedignatus est tres pentametros tetrasyllabo finire[80].

---

esset finis, set etiam aptissimus ea, quae antecedit, decima octava, inqua seriores leges accuratissime observantur; denique Ovidium iambos synaloephe elisisse (ut v. 20 time insidias) nemo mihi persuabit. quamquam is qui hanc elegiam genuinam ducit poterit aut cum Muellerio (Phil. XI. 87. de re metr. 289) quatuor versus delere aut cum Hauptio pro „Time“ scribere „Treme.“ — (77) Lachmannus quidem (prooem. ind. lect. Berol. 1848) utramque elegiam Ovidio abiudicaverat; Quem autem versum ille iure vituperavit (VIII. 71) interpolatus esse mihi videtur cum pentametro suo. Neque ab Ovidiana arte alienum est Ledae nomen trochaice adhibitum cf. A. A. II. 440 et Broukh. Prop. II. 11. 5. Hic tamen cum formas spondiacas coniectura emendandas censat rectam observationem falsam reddidit. — (78) Her. XIV. 62 XV. 288 XVI. 16 XVIII. 202 non Ovidiana esse Lachm. l. l. demonstravit. — (79) Quaestiones Ovidianae criticae, Halis 1835 diss. p. 1—42. et in praef. edition. CCLIV. usque ad p. CCLXIX. — (80) Trist. II. 232; 294; 430.

Post poetas nominaveram artis oratoriae doctores. Interquos, ut Fabii verba mea faciam, praecipue studia inse converterant Apollodorus et Theodorus[81], quorum sectae usque ad medium fere nonum saeculum duraverunt. E quibus prior fuit Pergamenus[82]. Quo quidem anno natus sit parum constat; set quoniam Octavianus eum a. 709 iam grandem natu ex urbe Apolloniam secum eduxerat[83] videtur non false quamvis ex mera coniectura Hieronymus ad a. 1953 = 690 haec adscripsisse: „*Apollodorus Pergamenus Graecus orator praeceptor Calidii et Augusti clarus habetur*". Adicitur quod hic Calidius, ex cuius vita notitiam nostram desumptam esse Mommseno[84] placuit, bello civili Caesariano diem supremum obiit[85]. — Scripta quidem Apollodori varia circumferebantur, atque illa aridissima si hoc Apro[86] concesseris; sed teste Quinctiliano ipsius non videbatur nisi Ars edita ad Matium, quia cetera missa ad Domitium (Marsum[87]?) epistula non agnoscebat. Magnam in studium suum elicuerat sectam, cui praeter Augustum et Calidium se addixerant Valgius[88] Caecilius[89] Bruttedius Niger[90] Turrinus pa-

---

(**81**) His plane conscriptis tandem nanctus sum C. G. Pideritii dissertationem de Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi (Marb. 1842) diu frustra petitam. Ille quidem magnopere dissentit a sententia, ad quam mihi perueniendum esse videtur, inprimis singulis tantum controversiis inhaerens; ne illud quidem concedere videtur a quo ipse initium cepi, nimirum esse aliquam quaestionem controversam principalem ceterarumque dissensionum tamquam originem. In singulis quoque saepe mihi non convenit cum Pideritio: haec tamen praetereunda censui, ne haec dissertationis meae particula ultra concessum sibi spatium excederet. Ab eodem non infitias eo me terve quaterve mutuatum esse locos auctorum quos ipse consulere nequivi. — (**82**) Quinct. III. 1. 15. Strabo II. 4. p. 625. potest accidere ut in tanto numero eiusdem et temporis et nominis viros aliquotiens noster lateat. cf. igitur de ceteris Apollodoris Fabric. bibl. gr. III. c. 27. et Funkium *de Apollod. Athen. Berol.* 1869. p. 5 sqq. — (**83**) Suet. Oct. 89. — (**84**) Acta soc. Sax. hist. phil. I. p. 669 sqq. — (**85**) Hieron. ad a. 697. — (**86**) Dial. de or. 19. — (**87**) Weichert. rell. p. 264. — (**88**) Quinct. III. 5. 17. cf. Weich. rell. p. 202—240; R Unger *de C. Valgii Rufi poematis commentatio* Hal. 1848. (**89**) Quint. IX. 1. 12. — (**90**) Sen. contr. praef. X. §. 15. p. 296.

ter[91] Moscus[92] Apollodori civis, denique Dionysius Atticus[93] hic quoque Pergamenus, qui fortasse idem est atque Atticus Vipsanius, quem Annaeus inter Appollodori discipulos inserit[94]. — Haec de secta: studium et voluntas Apollodori videntur in primis ea fuisse ne declamationes in incertis verterentur, set quam maxime locorum, personarum, rerum ratione ducta, speciem veritatis captarent[95]. Itaque cum caussam dixisset negotium cuius finis sit controversia, ipsum negotium sic finivit[96]: „Negotium est con-

---

16. Turrinus quoque fuit Hispanus. cuius filius Senecae filiis amicissimus erat. Omnes sententias Turrini a Seneca commemoratas ad patrem referendas esse docuit Lindnerius (*de Arellio Fusco commentatio*. Bresl. 1862. progr. p. 5). — (**91**) Sen. contr. II. 13. §. 13. p. 161. 24. — Bruxellensis haec exhibet: „Novi declamatores pos moscum (*post nos cum* A) Apollodoreum —“: nam quae apud Bursianum exstant typothetae debentur. Nec recte Bursianus in addendis scribendum putabat Post Oscum. (cf. p. 294. 25) Procul. dubio fere nulla mutatione corrigendum est „post Moscum“ cf. Porph. Hor. ep. I. 5. 9. *„Moscus hic Pergamenus, rhetor notissimus, reus veneficii fuit cuius caussa ex primis tunc oratores egerunt“* e. q. s. cf. adn. (18.) — (**92**) Strabo p. 625 *μαθητὴν ἔσχεν ἀξιόλογον Διονύσιον τὸν ἐπικληθέντα Ἀττικὸν πολίτην αὐτοῦ*. cf. Quinct. III. 1. 18. — (**93**) Sen. contr. II. 13. §. 11. p. 161. 4. Nomina apud Senecam incredibilem in modum mendis obnoxia fuisse, Kiesslingius (nova add. p. 16.) demonstravit quibus pauca addam. — P. 14. 2 legitur „Sabinus Asilius venustissimus inter rhetores scurra“. scribendum erat Sabinus Iulius cf. p. 272. 21 et 26: *„Iulius Sabinus erat urbanissimus homo et saepe vobis narravi . . .* “ e. q. s. Eodem modo Iovius Bassus (p. 79. 14) nemo alius est quam Iulius: quem hanc controversiam dixisse apparet ex p. 82. 15. Non difficilius mihi videtur Vipsanium Dionysium facere. Temere Frandsenus (Agrippa p. 227 sq.) hunc Vipsanium M. Agrippae patrem esse ponit. — (**94**) Sen. contr. II. 9. §. 36. p. 131. 7. — (**95**) Sen. contr. I. 2. 24. p. 73. 16. cf. Aurel. August. princ. rhet. p. 320 Capp. (a Pideritio laudatum) *„Nec desunt qui hic etiam Hermagoram criminentur; et Apollodorus inprimis qui negat quidquam aliud esse hypothesin* (i. e. quaestiones infinitas cf. Quint. III. 5. 5.) *quam thesin* (quaestiones finitas)“. quae quo connexu dicta sint quamvis nesciam videntur tamen aliquatenus ab Seneca dissentire. Qnae controversia ita fortasse decidenda est, ut dixerit Apollodorus hypothesin deteriorem aliquam causarum speciem. — (**96**) Quint. III. 5. 17.

gregatio personarum, locorum, temporum, caussarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum et non scriptorum". Plane eodem spectat quod praecipuum studium collocatum esse voluit in enarratione[97]; prius enim dixit, esse docendum iudicem quam monendum[98]. Enarrationem sic finit ut esset oratio docens auditorem quid in controversia sit[99]. Sic accidit ut illi ab Apro idem quod Hermagorae obiceretur nimirum longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series. Cum hoc consentit, quod scolasticorum suasorias et *λόγους ἐπιδεικτικοὺς* i. e. genus deliberativum et laudativum aeque dedignabatur solis iudicialibus contentus[100]. In horum scolasticorum refutatione Apollodori quamvis ipsius scolastici summum studium versum fuisse videtur, ita ut singulas artis oratoriae partes parum excoleret[101]. Divisionibus uti solebat simplicibus: velut omnes quaestiones dicit esse aut *πραγματικὰς* aut *περὶ ἐννοίας*[102]. Alterum genus in duas species disiungebat qualitatem scilicet et de nomine. Quam divisionem Fabius ita explicat ut primum interroget „An sit?" (*coniectura*) dein „quale sit?" (*qualitas*) denique „Quid sit?" (*finitio*). set vereor, ne Quintilianum quamvis auctorem et intellegentem et diligentem perduxerit studium variorum rhetorum divisiones ad idem referendi: certe non intellegitur quo iure dixerit qualitatem simul et finitionem *τὸ περὶ ἐννοίας*. Cui voci sollemnis philosophorum usus ratione ducta negari non potest eandem fere vim inesse atque ideae; quodsi his adsumpseris alterum illud testimonium quo Apollodorus non egerit nisi de caussis indicialibus, haec potius videtur divisio esse: 1. *πραγματικὸν*, quid factum sit? 2. *ἔννοια*, quid de factis nobis iudicandum sit? — Subdivisionem illam definire non audeo. Haec *ὡς ἐν παρόδῳ*.

(**97**) Contr. II. 9. § 36. p, 131. 7. — (**98**) Quint. V. 13. §. 59. nescio an eodem spectat Anonym ad Herm. de inv. tom. VIII. a p. 53. Walz. (laud. a Pideritio p 34): *ἰστέον ὅτι τὸ προοίμιον κατὰ μὲν τοὺς Ἀπολλοδωρείους τὴν πρώτην τάξιν τοῦ λόγου ἐπέχει.* quamvis Seneca contr. I. 1. 25. p. 66. 25. prooemium a narratione discernat. — (**99**) Quint. IV. 2. §. 31. — (**100**) Quint. III. 1. 1. cf. II. 15. 12. — (**101**) Certe Quinctilianus cum in his rarius commemorat quam Hermagoram aut Theodotum. — (**102**) Quint. III. 6. 35.

Venio ad Theodorum Gadaris oriundum[103] set qui maluit dici Rhodius[104], fortasse quia Rhodi Ti. Caesar diligenter illum audiverat[105]. Nonnulla scripsit[106] e quibus nobis nota sunt[106a]: *Περὶ τῶν ἐν φωναῖς ζητουμένων γ', Περὶ ἱστορίας ά, Περὶ θέσεως ά, Περὶ διαλέκτων ὁμοιότητος καὶ ἀποδείξεως β', Περὶ κοίλης Συρίας ά, Περὶ ῥήτορος*[107] *δυνάμεως.* Fuerant nonnulli horum librorum latine versa[108] fortasse a Verginio[109]. E discipulis praeter Ti. Caesarem non noscimus nisi Hermagoram[110] et Vallium Syriacum[111] hominem disertum[112] propter

---

(**103**) Strabo XVI. 29. p. 759. — (**104**) Quint. III. 1. 17. — (**105**) Quint. III. 1. 15. Suet Ti. 57. — (**106**) Quint. l. l. — (**106a**) Suidas h. v. — (**107**) Bernh. suspic. *ῥητορικῆς.* — (**108**) Quint. II. 15. 21. — (**109**) Quint. IV. 1. 23. Est enim ille error eiusmodi, qualis vel interpreti accidere potuit. — (**110**) Quint. III. 1. 17. Piderit[ii] de Hermagora rhetore dissertationem (Hersfeldae 1835) adipisci nequivi. Potest dubitari uter Hermagoras dictus sit: nam duos huius nominis rhetores fuisse inde apparet quod alter iam a Cicerone nominatur, alter usque in Quintiliani tempora duravit. Id quidem constat hunc Hermagoram non eundem esse atque oratoriae institutionis scriptorem, totiens a Fabio commemoratum: nam illum in principalibus quaestionibus a Theodoro dissentire videmus. Velut Hermagoras *στάσιν* dicit, Theodorus *κεφάλαιον:* hic quinque *κεφάλαια* ponit, Hermagoras octo status, e quibus quatuor rationales: 1) coniecturam (*γένεσις;* An sit?) 2) proprietatem (*ἰδιότης;* Quid sit?) 3) translationem *„hic primus omnium invenit"*; (itaque etiam ante Theodori *τὸ πρὸς τί;*) 4) qualitatem (*κατὰ συμβεβηκότα*), — quatuor legales: 1) scripti et voluntatis *κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν.* 2) ratiocinativum. 3) ambiguitatis 4) legum contrariarum. Hanc divisionem cum Theodoreis non congruere manifestum est: Quintilianus igitur plerumque de eodem loquitur de quo Cicero, semel de alio nimirum Theodoreo. Apud Suidam quoque Hermagoras occurit Carion cognomine qui scripsit *τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ς', Περὶ ἐξεργασίας, Περὶ πρέποντος, Περὶ φράσεως, Περὶ σχημάτων. ἐπαίδευσε δὲ οὗτος μετὰ Καικίλιου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας.* Ernestius quidem (in Orellii Onomastico VII. p. 282) hunc a Ciceronis Hermagora discernit, nectamen ut mihi videtur recte. Hunc enim Artem scripsisse constat: Hermagoram Theodoreum non scripsisse ideo est verisimile quoniam Quintilianus alioqui scripta eius commemorasset. Potuitque qui circa Ciceronis aetatem floruit facile mortem etiamtuuc iuvenis obire Augusto principe; non potuit quisquam Quintiliani temporibus meminisse Hermagorae sub Augusti principatu mortui. Ultimus restat Seneca apud quem saepius Hermagoras nomi-

Galli familiaritatem a Tiberio interfectus[113] Maximo fortasse Stertinio accusatore[116]. — In eo potissimum videtur Theodorus abhorruisse ab Apollodoro quod oratoriam artem non intra iudicialium caussarum fines cohibuit. Disertis verbis hoc dicit Quintilianus[114] eum illis inserens qui oratori omnia subicerent; quibuscum bene consentit Theodori finis quo rhetorice, vis sit inveniendi et eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione. Verum enimvero alia eiusdem definitio paullo post[115] subiungitur: „rhetorice ars est inventrix et iudicatrix et enunciatrix decente ornatu secundum mensionem eius quod in quoque potest sumi persuasibile in materia civili". Manifestum est hoc fine totam rhetorices artem intra materiam civilem verti. Ne illuc quidem fugere licet, ut prius alii cuidam Theodoro imputetur, quoniam aperte, quod ibi erat „cum ornatu" iterum dicatur „decente ornatu"; nec magis di-

---

natur. Ne hic quidem alter ille Theodoreus esse videtur; nam Annaeus Theodoreis et Apollodoreis aeque infensus laude eum afficere solet (contr. II. 14. §. 13. p. 172. 3. VII. 20. §. 14 p. 218. 11. I. 1. §. 25. p. 66. l. 25) Accedit quod bis (p. 66. l. 25 et contr. II. 11. §. 22. p. 148. 3) scemata eius commemorantur de quibus maiorem Hermagoram scripsisse Suidas auctor est. Denique quod est gravissimum, debuit Seneca siquidem alterum illum Hermagoram significare voluit eum aliquo modo a maiore discernere. Itaque Hermagoras Theodoreus floruisse mihi videtur a. 40—70 p. Chr. neque quidquam de hoc sciri (multos eiusmodi Theodoreos etiam Traiano imperante vixisse apparet ex Iuv. VII. 177); celeberrimum vero rhetorem ad quem referendi sint Quintilianus, Suidas, Seneca, Augusto principe iuvenem decessisse. — (**111**) Contr. II. 9. §. 36. p. 131. 12. — (**112**) Contr. IX. 27. §. 18. p. 272. 30. quae narratiuncula memoriae caussa mihi videtur orae adscripta fuisse p. 130. 11. unde ea verba depravata sunt, quae omni sensu carere Bursianus debuit intellegere: „in quam Syriacus Vallius homo disertus Calnmniam iuraverat". Quibuscumque verbis notam subduxi ea in controversia vicesima septima quamvis spatio interposito leguntur. Recta vero Annaeana verba remota esse puto. — (**113**) Dio 58. 3. — (**114**) Quint. II. 15. 16. — (**115**) Ib. §. 21. — (**116**) Sen. contr. II. 9. 36. p. 131. 15. „Sic (Syriacus) et contra Maximum Stertinium a quo premebatur cum comes eius fuisset dixit: per annos duodecim in officio fui; dic quid in domo tua peccaverim? set haec est consuetudo vestra: iniuriam vocatis finem servitutis, tamdiu vobis cordi sumus quamdiu usui".

versa est „ars inventrix et iudicatrix et enuntiatrix“ a „vi inveniendi et eloquendi“. Videlicet alterum quoque sibi repugnat: nam quod antea „credibile“ dictum erat, subito factum est „persuasibile“. Alterutrum finem corruptum esse iam mihi videtur patere; priorem ne licet quidem emendare, quippe cuius sensus non modo e verbis set etiam ex sententiae loco manifestus est: alter varie corrigi potest. Nam aut tria verba ex insequenti linea huc irrepserunt, quod minus probaverim, quia alterum vitium restat; aut post id quod est „Sumi“, intercidit „Credibile“; ita ut oratori usque quaque credibiliter dicendum sit, in iudicialibus vero quaestionibus insuper persualibiliter.

Reliquam Theodori doctrinam vobis remitto et difficillimam et satis bene a Pideritio explanatam. transeo ad declamatores, e quibus nemo familiarius Nostro devinctus erat quam M. Porcius Latro. Qui cum Seneca non modo Romam transmigravit, atque eundem, quem hic, audiebat magistrum Marillum[117] set etiam, quod effugit Lindnerium[118] una Cordubam revertit. Quod facillima computatione efficitur. Senecam enim in patriam anno 744 rediisse vidimus: Porcium mortem obiisse a. 750 testis est Hieronymus[119]. Atqui Annaeus[120] profitetur se cum Latrone a puero usque ad ultimum eius diem intima familiaritate coniunctum fuisse: consequitur Latronem una cum Seneca in Hispaniam rediisse. Gravius etiam testimonium exstat in praefatione libri noni, in qua[121] Annaeus Montanum sibi facit haec dicentem: „Hoc quod volgo narratur, an verum sit, tu melius potes scire. Latronem Porcium declamatoriae virtutis unicum exemplum cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret“ .... et quae secuntur. Accidit illa narratiuncula Seneca coram Latroni iam claro rhetori; atque cum ille ante a. 757 semel tantum redierit in patriam, efficitur Latronem quoque a. 744 Romam

---

(117) Praef. I. §. 22 p. 55. 14. — (118) *De M. Porcio Latrone commentatio*. Bresl. 1855. diss. — (119) A. 2013 „*M. Porcius Latro latinus declamator taedio duplicis quartanae semet ipsum occidit*“. — (120) Contr. I. praef. §. 13 p. 51 5. — (121) Contr. IX. praef. §. 3 p. 242. 12.

reliquisse. Haec quamvis perse levia parvique admodum momenti monenda censui, ne quis hinc rursus L. Senecae annum natalem in dubitationem vocaret recte a Lehmannio[122] et Ionasio[123] definitum.

Praeter Latronem familiarissima amicitia Nostro coniunctus fuit Iunius Gallio, qui posthac Novatum adoptavit[124]. Set Gallioni etiam cum Latrone quamvis multo maiore natu diuturna consuetudo intercessisse videtur, quoniam totiens aut hic Gallionis[125] aut ille Latronis divisionem paucis tantum vel mutatis vel additis reciperet. Unde autem trium virorum amicitiam potius explicabimus quam ex earum artium communione, quae ut Ciceronis[126] verbis utar, perse ipsae eos qui voluntate eidem sunt etiam familiaritate devinciant? Itaque si Senecae in literis studium et voluntatem cognoscere voluerimus (quae cognosci cummaxime sub fine huius dissertationis iam plurimi refert), non leve auxilium ductum iri spero ex his duobus viris, quos Seneca nusquam improbat.

A subtilitate graecae institutionis Seneca abhorruisse videtur Theodoreis et Apollodoreis aeque infestus [cf. P. 43 adn. (110)]. Quo quidem modo de priore iudicaverit, discimus ex iudicio quod de Turrino Clodio fert[127]. „Turrinus", inquit, „multum viribus dempserat dum Apollodorum sequitur et summam legem dicendi eum putat". Idem fere Senecam de Theodoro iudicasse eo est manifestius quo maioribus laudibus Nicetam[129], Theodoreis invisum[130] afficit[131]. Fuit igitur Seneca illi similis, qui interrogatus Theodoreus an Apollodoreus esset, eleganter Ego

---

(**122**) v. adn. 7. — (**123**) *De ordine librorum L. Senecae philosophi.* diss. Berol. 1870. p. 7. — (**124**) Gallio noster: praef. l. III. §. 2 p. 359. 15. contr. II. 13 §. 13 p. 162. 2. Gallio vester praef. l. X. §. 8 p. 294. 2. — (**125**) Contr. IX. 28 §. 8 p. 277. 31. Latro duas ultimas quaestiones (Gallionis) aliter posuit etc. etc. — (**126**) Cic. fam. XIII. 29 §. 1. — (**127**) Praef. l. X. §. 15 p. 296. 16. — (**129**) Errant qui hunc Nicetem eundem esse ponunt atque Nicetam Sacerdotum (Plin. ep. VI. 6. 3) cf. Philostr. soph. l. 19. — (**130**) Suas. III. §. 7 p. 21. 28. Tiberius ipse Theodoreus offendebatur Nicetis ingenio. — (**131**) Suas. III. §. 15 p. 15. 8 „Nicetes longe disertius hanc phantasiam movit". Contr. I. 4 §. 12 p. 87. 21. Nicetes illam sententiam pulcerrimam qua nescio an nostros antecesserit" versu hunc insequenti scribendum est: „set illam Albucius qua Graecos praeminet".

inquit parmularius sum[132]. Nec secus videtur Latro iudicasse qui et Theodori et Apollodori subtilibus divisionibus omissis volgo sic divisit: 1. de iure: an licuerit? 2. de aequitate: an debuerit?[133] Prius quaestionis erat; alteram in qua plus singulorum arbitrio relictum erat[134] tractationem dicebant[135]. Ob hanc divisionis simplicitatem erant qui Latronem subtilem esse negarent: quos Annaeus acriter refutat. „Nihil est“ inquit, „iniquius his qui nusquam putant esse subtilitatem nisi ubi nihil est praeter subtilitatem“[136]. Item Asinius Polio videtur iudicasse; qui Latronem propter id quod supervacuas quaestiones circumcideret paene forensem vocabat[137]: sic enim mihi videtur emendandum[138]. Eodem modo Gallio scolasticis obicitur[139]. Huc quoque spectat quod Latro tropis et figuris parcius utitur[140] propter quod a Seneca quidem laudatur notam vero subiit novorum declamatorum qui schema subsidi caussa inventum esse negabant, set decoris. Novos declamatores Seneca aliquotiens[141] inducit, qui quales putandi sint apparet ex controversia tertia decima[142] ubi novi declamatores

---

(**132**) Quint. II. 11. 2. — (**133**) Contr. I. l. 13 p. 62. 6 etc. — priorem quaestiouem aliquotiens omisit velut contr. VII. 19 §. 3 p. 209. 7. — (**134**) Contr. I. 3. 6 p. 85. 4 „tractatio quam ut quisque vo't variat“. — (**135**) Contr. I. 1. 14 p. 62. 20. — (**136**) Praef. l. I. §. 21 p. 55. 3. — (**137**) Contr. II. 11 §. 13 p. 144. 6. — (**138**) Kiesslingius qui (nova addit. p. 26) haec verba tamquam sana laudat, sic ea videtur interpretatus esse, ut species rei verae opposita sit. Set ne tantus quidem vir mihi persuadebit, Senecam si hoc dicere voluisset non aut id q. e. „Videri“ collocaturum fuisse post „Aiebat“ aut „Deprendi“ ante vocem „In“ ita ut chiasmus esset. Nonnulla mihi videntur excidisse hunc fere in modum:

37 POLIO ASINIUS aiebat, hoc Latronem tamquam
38 forensem facere, ut supervacuas quaestiones
39 circumcideret; (plane contra visum est Fabiano)
in nulla magis re illum scolasticum deprendi.

— (**139**) Contr. I. 6. 10 p. 96. 22. — (**140**) Praef. lib. I. § 23 p. 55. 28. — (**141**) Contr. I. 4. 6 p. 85. 7. I. 8 §. 11 p. 110. 28. ib. §. 16 p. 112. 21. VII. 16 §. 20 p. 191. 18; denique si Nicolai Fabri (quam false Bursianus in addendis Gronovio tribuit) probabilem coniecturam receperis, contr. I. 4 §. 6 p. 85. 23 „Pammenes ex novis declamatoribus“. alioqui hic Pammenes idem ducendus atque rhetor Atheniensis cf. Cic. or. 30 §. 105 Brut. 97 §. 332. — (**142**) Contr. l.

post Moscum Apollodoreum dicuntur. His novis declamatoribus Gallionem suum cum Silone et Pompeio opponit[143]. In controversia quidem prima[144] Gallio inter illos referri videtur novicios, siquidem librorum lectionem defendere volueris, quam falsam esse gravissima argumenta comprobant[145]. Quae omnia comprehendentibus nobis iudicandum erit, Senecam eiusque amicos, quamvis ipsos inter rhetoricorum studiorum auctores, mox abhorruisse a nimia subtilitate et ariditate, acuminibus frustra permixta, cuius in eloquentiam inductae superstites erant.

---

13. 13 p. 161. 24, cf. adn. (91). — (143) Contr. I. 8 §. 9 coll. §. 11 p. 110. 28. — (144) Contr. I. 1 §. 14 p 62. 15. — (145) Fuit in archetypo:

1 Novi declamatores graecis autoribus adiecerunt
primam illam quaestionem: an adoptatus abdi
cari posset. Hac Cestius usus est. adiecit quaestionem
(l. 39) .. ... alteram: an si abdicari posset etiam adoptatus
(l. 38) 5 ob id vitium quod antequam adoptaretur notum
(l. 37) fuit adoptanti. Haec autem ex aequitatis parte
(l. 37) pendet et tractatio magis est quam quaestio.
8 GALLIO quaestionem primam Latronis duplicavit.

Procul dubio Gallionis nomen in lineam quartam errore anteceptum est. Nam quam Latronis primam quaestionem a Gallione mox duplicatam esse dicitur, ea est de ipso iure, nimirum an abdicari possit. quam quidem quaestionem ab eo quisquis prius illud disputavit aliter dividi apparet.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 805 0

VITA

Natus sum Paullus Otto Gruppe a. d. XV. kal. Sext. a. 1851 patre Ottone Friderico matre Maria e gente Schottmuelleria, quos etiamnunc viventes vehementer gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis literarum elementis in schola elementaria Sachsii imbutus, a. 1864 in gymnasium Regis Guilelmi rectore Kueblerio receptus sum. Anno 1869 maturitatis testimonio instructus civibus Academiae Fridericae Guilelmae adscriptus sum. Per septem semestria scholis interfui virr. clariss. Bonitzii, Brunsii, Curtii, Droyseni, Gruppii, Harmsii, Hauptii, Huebnerii, Kirchhoffii, Mommseni, Muellenhoffii. Per biennium seminarii philologici sodalis fui; per quinque semestria Mommseni exercitationibus adfui. Quibus viris bene de me meritis quantas animus meus concipere potest, gratias ago praecipue Hauptio, Kirchhoffio, Mommseno, qui singulari benevolentia studia mea adiuverunt.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Manil. astr. IV. 841 scribendum est: Nec trahit adsuetum (*ad se tum* Iac.; *ad cetum* Vossianus 2) quo fulget Delia lumen.

II. Apud Silium Italicum nusquam pyrrhichica verba quinto hexametri pede collocantur nisi antecedente monosyllabo. itaque l. I. v. 71 sic scribendum est: „Addiderat quondam puero pater. Ut fuit ortus.“

III. Petron. sat. c. 119 v. 16 pro eo quod est „fames“ scribendum est „fremens“.

IV. Gell. XVI. 2 §. 10 deleta voce „Non“ scribendum est „Nam si habere se negaverit“.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 805 0